

K. 7. 18.



DISSERTATIO JURIS PUBLICI,  
De

# VICARIATU ITALICO,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. WILHELMO HENRICO,

DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLI-

VIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ ET

WESTPHALIÆ

&c. &c.

ILLUSTRIS JC TORUM ORDINIS

IN ACADEMIA JENENSI

benevolo indultu,

publice proponit

GERLACHUS ADOLPHUS

de MUNCHHAUSEN,

Eques Thuring.

JENÆ, die August. M DCC XII.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITERIS SALFELDIANIS. +



ILLUSTRISSIMO  
COMITI AC DOMINO,  
DOMINO  
**GEORGIO,**  
S.R.I. COMITI.  
DE WERTHERN,

DYNASTÆ IN COMITATU AC CLIENTELIS  
DE BEICHLINGEN, FHRONDORFF, NEUENHEL-  
LIGEN, NEEHAUSEN, RELIQUA.

S.CÆS. MAJ. ET S. ROM. IMP.  
JANITORI CAMERÆ HÆREDITARIO,  
POTENTISSIMI POLONIARUM RE-  
GIS ET SERENISSIMI SAXONIÆ ELECTORIS  
A CONSILIIS SANCTIORIBUS,  
ET AD CONVENTUM PACIS UNIVERSALIS, QVI  
ULTRAJECTI EST, LEGATO PRIMARIO,  
**DOMINO AC MÆCENATI SUO**  
**RELIGIOSISSIMO MENTIS CULTU PROSEQUENDO,**

Exiles has chartas  
ea, qua par est, submissione  
offert,

GERLACH ADOLPH DE MUNCHHAUSEN.



Gnosces homini, Comes illustrissime,  
non sine quodam forte piaculo in fa-  
craria TUA proruenti; Pietas silen-  
tium rupit, animus etiam, quem mo-  
nimentis æternæ laudis pridem ad TE convertisti,  
publicum extare obsequii documentum vole-  
bat, quo le uno TIBI probare adhuc proterat.  
Neque erat, cui id magis abs me fieri decebat.  
Quodsi enim sanctissimum illud sanguinis vincu-  
lum considerem, si ingentia reputem benevolentiae  
signa atque beneficia, quæ in matrem, univer-  
samque nostram familiam manu contulisti per-  
quam liberali, utrumque suo quodammodo jure,  
non tam postulare, quam efflagitare a me vide-  
batur, ut publice constaret, illud mihi palmarium  
fere, ne quisquam ullo me erga TE observan-  
tiae genere vinceret, Legate eminentissime. Hæc  
mihi sunt propria, cum aliis vero communia in-  
numera etiam, tum illud, quod rerum præclare  
gestarum magnitudine, omnem quaqua patet Sa-  
xonum oram, &c., si coram TE dicere licet, sim-  
gulas mæloris Europæ partes TIBI mirifice sane  
devin-

devinxeris. Est vero illa virtutis eminentis vis,  
ut quemadmodum jubare suo maleferiotorum  
etiam hominum oculos præstringit, ita præter-  
tim optimos quosque in sui rapiat admiratio-  
nem. Quod equidem in TE, *Comes illustrissime*,  
obscurum esse nemini poterit, qui perspiciat, TE  
sive apud Batavos, sive in Germanorum, quæ Ra-  
tisbonæ celebrantur, comitiis, jussu potentissimi  
atque serenissimi Poloniarum Regis splendidissimam  
oratoris provinciam susciperes, non Patri solum  
patriæ longe clementissimo abunde satisfecisse, sed  
bonis etiam omnibus, quando discedebas, arden-  
tissimum TUI desiderium reliquise. Quæ nunc  
omnia novo sapientissimi Regis nostri judicio con-  
firmantur, ubi TE principem legatum esse voluit,  
qui Ultrajecti in foedere pacis incundo suas rite age-  
ret partes. Quod ubi commemoro, insignem  
mihi in memoriam opportune felicitatem revoco,  
qua me mactum, in familiamque TUAM adisci-  
tum, res perlustrandi maximas, prona besti occa-  
sione. Omnem vero dabo operam, ne tam  
prolixo, *Comes illustrissime*, in me affectus, unquam  
TE pœniteat, ut si re non possim alia, fide tamen  
atque

atque devotione nisi superior, par tamen sim omnibus. En primitias obseruantiae meæ pagellas hasce quas *illustissimo Nomi* *TUO* sacras esse jubeo. Levidentes sunt illæ, fateor, rudique conscriptæ minerva, at documentum æterni obsequii. Addo votorum summam, Deumque voce, quam possum, devotissima veneror, ut TE Regi potentissimo, Patriæ svavissimæ, Germaniæ universæ, Genti TUÆ illustissimæ, mihi bonisque omnibus, quovis felicitatis genere beatissimum, quam diutissime in columnen servet.

atque devotione nisi superior, par tamen sim omnibus. En primitias obseruantiae meæ pagellas hasce quas *illustissimo Nomi* *TUO* sacras esse jubeo. Levidentes sunt illæ, fateor, rudique conscriptæ minerva, at documentum æterni obsequii. Addo votorum summam, Deumque voce, quam possum, devotissima veneror, ut TE Regi potentissimo, Patriæ svavissimæ, Germaniæ universæ, Genti TUÆ illustissimæ, mihi bonisque omnibus, quovis felicitatis genere beatissimum, quam diutissime in columnen servet.



Q. D. B. V.

CONSPPECTUS CAPIT. I.

- §. I. Instituti rationem tradit, & conqueritur de injuria  
nonnullorum scriptorum.  
§. II. Preliminaria & synopsin totius Dissert. indicat.  
§. III. Varia vicariorum genera remisive recenset,  
§. IV. Qui extra ordinem vicariatum in German. tenuer-  
rint, quique illum ambierint, explicat.  
§. V. Primeam vicariatus German. originem conjectu-  
rando persequitur.  
§. VI. Saxonem quandoque per universam Germaniam vi-  
cariatus honores gessisse, idque non mortuo solum,  
sed etiam superstite Imperatore, docet.  
§. VII. Vicariatum palatinum ob antiquitatem Saxonico  
preferri non posse evincit.  
§. IX. Etiam ante A. B. diversis quemque vicarium terris  
prafuisse, afferit, ita ut unicuique non solum causa ci-  
viles, sed etiam criminales dijudicande competierint.



§. I.  
Runt forte, quorum haud temere men-  
tes subeat miratio, quare nunc demum,  
ubi provincia Imperatorum vicario-  
rum pro comuni universæ Germaniæ

A salute

salute felici omni<sup>e</sup> suscep<sup>t</sup>a, a<sup>f</sup>t aliquo abhinc tempore  
derelicta, quando curarum molem Procerum consilio  
angustissimus Carolus sustentare cœperat, de Vicaria-  
tu Italico prolixius dicere animum inducam; Verum  
enim vero, ubi rationes, quæ maturitati mei laboris  
offecerunt, æquum invenerint judicium, non est, quod  
atrum quorundam calculum reformidem; Sane qui  
recte secum reputaverit, quam parum hæc materia  
trita sit, quamque varie densissimis immersa involu-  
cris, facile quicquid in tarditate peccatum est, condon-  
nabit. Ut omittam cætera, animum præsertim diffici-  
libus adhuc sollicitudinibus distractum, ut ab ipso ægre  
potuerim impetrare, quo se ad disputationem conscri-  
bendam pateretur adPELLi. Sed quicquid horum est per-  
ruperit illud, atque vicit, ingens, qui menti meæ insi-  
det, ardor, devotissimum comprobandi studium serenissi-  
mo atq; longe Potentissimo Poloniarum Regi FRIDE-  
RICO AUGUSTO, Domino meo clementissimo. Quan-  
doquidem enim fatis concedente divo Josepho, sacratis-  
simo Romanorum Imperatore, serenissimus patriæ Pa-  
ter, non absque provida Numinis cura delectus erat,  
qui nutantes imperii res in terris Juris Saxonici con-  
firmaret, omnium ille honorum spes atque vota more  
gentis suæ non complevit modo, sed perquam libera-  
liter superavit: nemo nisi invidus alienæ laudis obtre-  
ctator esse debet, qui non festiva adclamatione tan-  
tum beneficium concelebret. Illis certe quibus ob-  
sequii gloria est relicta, enitendum reor, ut omnes  
intelligant, se nulli pietate in tantum Principem cede-  
re. Horum in censu cū & nomen meum profiteri li-  
ceat, faciam, ut hic successivarum horarum labor, quem  
digni-

dignitate non potest, devotione tamen locum adsequatur clientis subiectissimi, ita tamen ut omnibus quæ dicentur, fides atque veritas constet, tantumque ille a specie adulatioñis absit, quantum ab insolentia querundam; qui sibi esurire videntur, nisi eo temeritatis procedant, ut domus Saxonice jura, autoritatem, maiestatem convitiis proscindant, scriptis & verbis convellant. Ibit certe in secula, esse nunc quoddam hominum genus, qui exsangvem illam & ferream frontem ne quidquam convulnrandam præbeant punctis, & notas suas rideant, modo calamo venali suis propiciant utilitatibus. Adeo vero nullo pudore ad hæc suffunduntur, ut potius effectum censuræ homines male feriati apud alios velint, jubeant suos obfinere actus, quo sincera rectaque ingenia et si non detorquentur, hebetarentur tamen misere. Ita nimirum est, ut qui perfugii sui, quod artibus liberalibus præbuerunt undiquaque extorribus, Serenissimi Saxonie Principes, gloriissimum fructum deberent capere, nefandis ingratæ turbæ anisibus præter convitia nihil habeant, quod expectent. Tot sunt tantaque illustissimorum Heroum merita, ut qui consecrari singula atque colligere velit, ne quidem eorum inire numerum possit; Horum unum si præstitisset aliis, illi jamdudum radiatum caput & media inter Deos sedes auro staret aut ebore, ut nimirum omnes cognoscerent, quantum diversitas temporum posset, ubi in Germanorum animis exoleverat priscum mortalium bonum, veritas, cuius in locum migravere adsentationes, blanditiae & pejor mendaciis manifestis rectæ mentis simulatio. Mihi certe, quem nec litor nec

A 2

nec

nec servilium verborum illecebræ præcipiti permittantur, a veri tramite abripiantur, palmarium illud erit, ut post nuncupata pro æternitate imperii Saxonici vota, ea in medium proferam, quæ nullo mendaciorum confinio lèdantur.

## §. II.

Ne vero in leges imperii simus injurii, Matthiæ nempe Ferdinandi, Leopoldi, Josephi atque Caroli, quas vocant capitulationes, quæ prohibent, ne quis audeat, jura laceſſere Vicariorum, aut ea vocare in controversiam (a) omni contentione adlaborabimus. Dein ut ordine rite procedamus, seriesque constet dicendis, primo quidem capite, quemadmodum illud inscripsimus, de Vicariis generatim quædam differemus, secundum historiam atque originem Vicariatus Italici exponet, in Tertio de potestate hujus Vicariatus erimus solliciti; Quarto denique illud nobis curæ cordique erit, ut quid inter ProReges imperii, Palatinum nempe Saxonemque, atque inter Sabandum Italiæ Vicarium intercedat discriminis reddamus manifestum.

## §. III.

Quemadmodum vero cuncta de industria mittimus, in quibus alios, ubi de Vicariis agunt, operose quandoque nugatos esse arbitramur, quando Illyrici, Thraciæ, Ponti, Macedoniae & nescio, quos tandem Vicarios, revocant ab inferis. (b) Ita nolumus etiam esse

Capit. Josephi Art. 35. & Caroli VI. Art. 3. verb. auch nicht nachgeben / daß die Vicariateh und dero jura samt was denenselben anhangig / von jemanden disputirt oder bestritten werden. ic. (b) Vid. Buxtorff. ad Aur. Bull. C. 5. ib. 52. Hermes Fas. J. p. c. 24. n. 6. seq. Bechmann. Exerc. Exot. V.

esse prolixiores in evolvendis temporum annalibus & compilandis reliquis omnibus, quæ ob solam nominis adfinitatem hic locum mereantur. Neque enim animus est dicere, in quem censum sub Caroli M. eorumque, qui ipsi proxime successerunt, ætatem venerint Vicarii quanquam ut Capitularia, Caroli M. præterea locus apud *Monachum San gallensem*, (c) inter alia deprehenditur, qui lumen hisce temporibus affundere potest. Cum vero hi ipsi Vicarii, quod fines imperii latissime essent prolati suos haberent ministros, qui ipsorum vices obirent, mirum non est, quare mentio *Sub-Vicariorum* aut *Con-Vicariorum* in monumentis veterum occurrat (d). Majori his omnibus autoritate pollebant, quos *Missos Regios Annales* vocant; Hi enim quod Frodoardus litteris prodidit (e), inquirebant; qualiter Episcopi, Abbates Comites & Abbatissæ per singulos pagos agerent, qualem concordiam & amicitiam ad invicem tenerent,

A 3

(c) L. i. de Carol. M. c. 32. Fuit, inquit Monachus, consuetudo in illis temporibus, ut ubicunque aliquod opus ex imperiali præcepto faciendum esset, ea Comites per Vicarios & Officiales suos exequerentur. Conf. in Præceptionem Guntramni Regis ad Episcopos & Judices regni sui, editam in confirmat. Concil. II. Matisconensis anno 585. & Bignonium in Notis ad Appendicem Marculfi. De officio horum Vicariorum vide Agobardum in Epistola ad Matfredum Comitem Palatii. Cujus elenchem exhibet Sagittarius in Antiquitatibus Ducatus Thuring.

(d) Beslius in Comit. Pictav. p. 223. & in Episc. Pictav. p. 38.

(e) In Historia Rhenensi L. i. c. 18. conf. Sagittarium in eruditiss. scripto de Antiq. Thuring. C. 17. §. 1. ubi ex Autore vita Ludovici Pñ idem multis argumentis testatur.

nerent, & ut bonos & idoneos vice dominos & advocatos haberent, & undecunque necesse fuisset, tam regias quam Ecclesiarum Dei justicias, viduarum quoq; & orphanorum, sed & ceterorum hominum inquirent & perficerent, & quodcunque emendandum esset emendare studerent, in quantum melius potuissent, & quod emendare per se nequivissent, in praesentiam Imperatoris adduci facerent, & de his omnibus eidem Principi fideliter renunciare studerent. Neminem esse facile arbitror, qui non videat, his ipsis nomen Vicariorum regiorum vix posse in dubium vocari; Nihilominus tamen multum recedunt a sequiorum temporum consuetudine, ubi id moris invaluit, ut quando vastissimo regno patrio vel arma infesta inferrentur a peregrinis, vel intestini motus summa miscerent imis, vel quod concatenata negotiorum series id juberet, sive aliud quodcunque demum in causa esset, Imperatores summæ rerum consulere nullatione poterant alia, quam ut viros in eum dignationis gradum summoverent, ubi vicibus ipsorum vel per universum imperium vel in certis provinciis rite funderentur.

#### §. IV.

Non est, quare si postremum genus velimus persequi, nimius firm, in iis percensendis, qui exili terræ portioni sub Vicariorum nomine præfuerunt, quod facile foret evolventi annales Germanorum. Nec commemorare juvat, qualium per majora regna in imperio nostro Vicariorum mentio fiat. Ita enim in proclivi foret, quis apud Burgundos, inque universo Arelatenfi regno nomine Augusti fata dispensarit rerum

rum humanarum, ad quemque hoc potissimum jus  
pertineat, num ad Delphinum, an vero ad Aratus-  
cum. Mittimus etiam, quem primo loco honoris gra-  
tia adducere oportebat, Romanorum Regem, qui ex  
concessione Imperatoris Vicariam exercet potestatem,  
quod unicuique nisi qui omnis historiae rudis est atque  
ignarus, vel solo Ferdinandi I. exemplo constat: ubi  
tamen hoc observandum, tum temporis Carolum V.  
Friderico Saxoni Wormatiæ anno 1521. litteras, quas  
vocant, reversales tradidisse, ne quam Ferdinandus  
administraret in posterum provincia ipsius Vicariatu*i*  
in præjudicium vergeret (f). Illud quoque a scopo  
nostro quam maxime abest, ut eorum, qui extra or-  
dinem in patria nostra Imperatoris, quam ipse non po-  
tuit provinciam suscepereunt, mentionem injiciamus.  
Hoc enim si ab instituto nostro non foret alienum,  
quamplurima in medium proferri possent exempla,  
qua*e* dictis fidem conciliare haud temere possent. Quem  
enim nisi rerum in patria gestarum plane expertem  
lateat, Fridericum I. constituisse Uladislauum Bohemiæ  
Ducem Vicarium (g), Henricum VII. filio Joanni  
Lutzelburgensi Bohemiæ Regi commisso, ipso Italianam  
petente (h), Ludovicum Bavaram eadem omnia tra-  
didisse Eduardο Angliæ Regi (i) Conradum ArchiEpi-  
scopum

---

(f) Exhibet illas Lunigius in Reichs-Archiv P. Spec. n. n. 5.

(g) Dubruvius Hist. Bohem. L. 12. f. 72.

(h) Conrad. Vecer. Hist. Henrici VII. ad a. 1309. Lehman. Chron.

Spirens. L. 7. c. ii. p. m. 735.

(i) Albertin. Argent. ad a. 1339. Cuspinian. in vita Ludovici Ba-  
vari p. 377. Adeltzreiter. Annal. Bojor. p. ii. L. 3. n. 42. &

Steph.

scopum Moguntinum a Sigismundo Hussitas in Bohe-  
mia debellaturo, insigniter tanto fuisse honore macta-  
tum. (k) Ut reliquos omnes studio præteream. Multo  
minus operæ erit præmium, prolixè commemorare,  
quo ansi Pontifices Romani imperii sibi vicariatum  
vindicare fuerint conati. Hunc enim quando publica  
sibi adserere auderet Constitutione (l) Clemens V. Lu-  
dovicus Bavarus strenuus jurium Germanicorum sta-  
tor, recte ad morem patriæ ablegavit, cuius ita liber-  
tatem, dignitatem, jura atque majestatem temere con-  
velleret; (m) ne quidquam etiam in contrarium niten-  
te Johanne XXII. (n)

### §. V.

Propius a scopo nostro absunt, imperii Romano  
Germanici ProReges Serenissimi Saxo atque Palatinus,  
quorum auspiciis factum est, ut Carolo Augusto impe-  
rii habenas ullo sine turbine commissas esse videamus,  
Hi enim longa usque adprobata consuetudine, inque  
Aurea Bulla solenniter confirmata per imperii Roma-  
no Germanici fines curam ipsius sustinent, quando fa-  
ta Imperatorem rebus humanis eripiunt, alioque in-  
terdum avocant; Neque est, quare in utriusque Vic-  
ariatus natales inquiramus, tum quid ab instituto no-  
stro alienum illud sit, tum quodsi ab ultimis eos tem-

pori-

---

Steph Baluzii Not. in Vit. Papar. Avenionenf. T. I.  
p. 801.

(k) *Semarius de rebus Mogunt.* L. 5.

(l) Clement. Pastoral. de Appellat. & Joh. XXII. extrav. ne  
fede vacante vide *Herwartum contra Bzovium* p. 243.

(m) *Goldost.* T. 3. p. 411. *Cuspinian.* p. 376.

(n) *Schilt.* de Libet. Ecclef. Germ. L. 6. c. 3. n. 4.

poribus repetamus, nil nisi conjecturis tandem fuerit indulgendum. Laudanda tamen industria est viorum celeberrimorum, qui suam huc collocarunt operam, inter quos duos potissimum *Tolnerum* atque *Gribergerum* liceat commemorare. Nobis non admnodum Autoris celebratissimi displicet sententia, qui sub *Augustini de Canusio* latere nomine volebat (o), vestigia hujus muneris sub ætatem Imperatorum Svevorum atque Hohenstauffensium quærenda esse docentis. Illud autem non abs re erit, illos commonefacere, qui originem Vicariatus Palatini ultimum præteriti temporis spatium respicere sibi persvadent, Saxonico autem juriorem multo tribuentes. Evidem si monumenta veterum consulamus, varia se se offerunt diplomata, inde obscurum nemini esse possit, Comiti interdum palatino curam fuisse demandatam, ut vices Augusti subiret (p). Verum enim vero quam parum solide Palatinus sui munieris antiquitatem inde possit evincere, annalium fide constat. *Lambertus certe Schaffnaburgensis* (q) tradit, Friderico ante Hohenstauffensi hunc

B

digna-

(o) Vid. ipsius *Bedencken von den Reichs-Vicariis* in *Biblioth. nova* P. XIV,

(p) Unum nunc adduxisse sufficiat, quod exhibet Guerceanus (*Du Chesne*) in *Histor. Domus Luxenburg.* ubi hæc deprehendimus, Præsidente Dn. Henrico (*Sc. de Lacu*) Comite Palatino, cui a Domino nostro gloriofissimo Imperatore Augusto Henrico (*Sc. IV.*) in Italiam exercitum ductante commissæ sunt habenæ.

(q) ad an. 1081.

dignationis gradum esse decretum, ut Imperatoris nomine summæ rerum in Germania præcesset. In arbitrio nempe tunc Imperatorum erat positum, iis quib[us] vellent, hanc committere provinciam. Quod ad Vicariatum Saxonum attinet, cum iis non contende[m]us admodum, qui ubi de ipsius ortu sunt solliciti, non plane nihil se invenisse arbitrantur, quarido in diplomate, quod exhibent viri doctrinæ fama quam maxime conspicui, *Georgius Schubartus* (r), *Antonius Wettius* (s) reprehendunt; *Henricum Thuringiæ Landgraffium Raspe cognominatum*, a Friderico II. Augusto vocari *Procuratorem Germanie*. Eundem sibi ipsa titulum adscribit in alio Diplomate, cujus mentionem faciunt viri laude nostra superiores *Schilterus* (t) atque *Tentzelius* (u). Prior equidem, quanquam in rebus hisce versatissimus vir, ingenue fatetur, expeditum sibi non esse, quænam hæc fuerit functio, & a quo constitutio facta: ast subjicit tandem, videri sibi, *Vicarii aut locum tenentis* hic indicari officium. Quam sententiam alibi etiam confirmat (x). Calculum suum ad-  
jiciunt

(r) In Exercit. Histor. de Comit Palat. p. 189, 190.

(s) In Chronico Dresdensi P. II. T. I. p. 153. seq. conf. Schurtze fleisch in Auætario Hist. Auguftæ sequioris p. 34.

(t) De Libert. Ecclef. German. L. V. c. 7.

(u) In supplemento Histor. Gothan. P. II. p. 587. qui verba initialia privilegii Monasterio Georgenthalico concessi ita receriset: *Nos Henricus Dei gratia, Landgravius Thuringia, Comes Palat. Saxonie & Sacri Imperii per Germaniam Procurator.*

(x) In Comment. ad Jus Feud. Aleman. c. 42.

doctissimi Sagittarius (z) Paulini (a) atque Hornius (b).

§. VI.

Neminem forte offendet, quod Henricus per Germaniam dicatur Procurator, cum tamen secundum regulam A. B. si res spectetur, Saxoni Vicariatus tantummodo in terris competit juris Saxonici. Obvia enim sunt exempla, ubi vel Saxo vel Palatinus iussu Cæsaris per universam Germaniam rebus patriæ consuluerunt. Id quod historia Friderici III. Saxonis atque Ludovici Palatini constat. Quorum illud Maximiliani I. hic vero Rudolphi I. tempore contigit (c), Monendum tamen est, Fridericum tum Saxonem interregiam potestate in terris Palatini ad Rhenum exercuisse, quod a banno imperii Palatinus nondum absolutionem impetrasset. Hinc factum, ut sibi suisque juribus per notarii protestationem prospiceret, ne hæc sibi res aliquando fraudi foret (d). Ex his quæ diximus illud quoque primum erit colligere, Palatinum atque Saxonem non mortuo solummodo Imperatore, sed

B 2

etiam

(y) ll. cc. (z) In Disp. de Henrico,

(a) In Anal. Isenac.

(b) In peculiari programmata, Dissertationi de terris Juris Saxonici subiuncto, quam sub moderamine Gribneri jurium Saxoniorum strenui adsertoris defendit Martini.

(c) Vid. Mulleri Reichstags Staat L. 5. c. i. & Illustris Leibnitii Cod. Jur. Gent. Dipl. P. II. Addi meretur exemplum Henrici Saxoniz Ducis, ejusdemque ad Rhenum palatini Tolner in Hist. Palat. c. 16.

(d) Birken. Spiegel der Ehren L. 6. c. 12. p. 124.

etiam superstite eodem ipsius vices gesisse. Saxonem certe provisorem esse imperii absente Rege non solum novissima Caroli VI. Capitulatio (e) abunde comprobatur, sed etiam Kregelius (f) argumentis fere insuperabilibus evicit. Non piget & hic referre, quod nobis inservit mirifice, Diploma Friderici Saxoniae Electoris, qui vices ante absensis gessit Imperatoris, quam gubernator, ut loquuntur, imperii auctoritate constituatur Maximiliani Augusti, quod anno demum 1507. contigit, cum litteras patentes de suo Vicariatu jam an. 1496. locis confvetis affigi jussierit. Ipsum Diploma Lutnigius exhibet (g).

Friedrich von Gottes Gnaden / Herzog zu Sachsen / des H. Römischen Reichs Erz-Marschall und Churfürst / und desselben Reichs dieser Zeit gemeinsamer Vicarius, hier disseit der Gebürge an enden in unser Vicariat gehörend / Landgraff in Thüringen und Marggraff zu Meissen / kund und offenbar sey allermänniglichen / nachdem Wir von Unsern trefflichen Räthen / so Wir jetzt bei der Römischen Königl. Majestät gehabt / wahrlich Bericht empfangen / daß dieser Zeit die Römische Königl. Majestät über die Berge sich in die Lombardie verfügt / und gezogen. Wenn uns denn nach alten läblichen Herkommen und von wegen unsers Erb-Umts von Unsern Vorfahren und Eltern

---

(e) Art. XXX.

(f) De Vicar. Saxon. §. 16. seqq. conf. Muller in Reichstag-Staat p. 723. De Palatino abunde idem probat Historica narratio de Vicariis imperii, quæ lingua vernacula prodiit.

(g) In Reichs-Archiv P. Spec. II. p. 20.

Eltern auf uns bracht / Königl. Majestät und des H.  
Römischen Reichs Vicarius in Teutschen Landen und  
Provincien in solch Vicariat gehörend zu seyn gebührt/  
darum wir solchem Amt vorstehen / das vertreten  
und verwesen wollen / als Vicarius, Stadthalter und  
Verweser Königl. Maj. in allen Sachen / so des Heil.  
Römischen Reich Verwandten und Unterthanen die-  
ser Lande und Provincien zu thun haben / und in allen  
des Reichs Händeln / die uns von wegen angezeigten  
Unsers Vicariats-Amts gebühren / nach unsern besten  
Verständniß und Vermögen ausrichten / nachdem  
Wir selbst Begierde und Neigung haben / den Frie-  
den und auch das Recht zu fördern / des wollen Wir  
hiemit und in besten allen Ständen in Reiche / Hohen  
und Niedern / wes Standes die sind / Geistlichen und  
Weltlichen verkündet haben / und als den rechten wah-  
ren Erb-Vicarium des obbemeldten Heil. Römischen  
Reichs in ihren anliegenden Sachen die hiervor der  
Königl. Majest. so die persönlich inländisch wäre / aus-  
zurichten hätte / wissen zu lassen. ic. ic.

§. VII.

Ita etiam pristinis temporibus mos invaluerat,  
ut modo Palatinus , modo Saxo charactere Procurato-  
ris aut Gubernatoris per Germaniam insignirentur ,  
quanquam illud jus in certis tantummodo imperii pro-  
vinciis exercuerint. Nolumus studium nostrum in  
conquirendis exemplis variis Lectori benevolo proba-  
re , adduxisse sufficiat , vel unicum Ruperti Palatini , cu-  
jus hac de re Diploma invenitur , in brevi informatione

de vicariatu palatino (h). Interim cum Palatinis iam-pridem doctissimi viri sua tulerint suffragia (i), adferen-tibus, Comitem Palatinum non quatenus archidapiferi provinciam ornat, sed quatenus comitarui palatino prae-est, jamjam ante conditam etiam A. B. Vicarium munus imperatorium gessisse. Quid est, cur dubitemus, apud Sa-xonem eadem munia ipsorum Comitem Palatinum obiisse, præsertim ubi annales silent, Comiti Palatino ad Rhenum in partibus Saxonici palatinatus quidquam fuisse nego-tii. Neque latere quenquam potest, nisi qui rerum apud nos gestarum plane rudis est atque ignarus, jam-jam sub tempora Henrici IV. V. atque qui eos inse-cuti sunt Imperatorum, Saxones fere novam Reipubl. suæ formam reddidisse, in qua parum honoris nisi qui ex ipsorum gente essent principibus detulerunt. (k) Quis igitur vel conjectura poterit adsequi, Saxones alienum fuisse Principem admissuros, qui ipsis in Anarchia jus diceret? Peritemus itaque in nostra sententia, non esse, quare ob antiquitatem vicariatus palatinus Saxonico possit jure præferri.

### §. VIII.

Longius forsitan atque par erat materiam quæ circa natales palatini atque Saxonici Vicariatus ver-satur, fuiimus persecuti: Sed non plane a finibus, quibus nostrum

---

(h) p. 65.

(i) Vid. Dn. Struvius in Syntagmae juris publ. p. 280.

(k) Cujus rei testimonium deprehendes, in Chronico Hil-desiensi, quod Dn. Leibnitzius T. I. Script. Brun-siv. publici juris fecit. conf. etiam Chron. Slavorum, quod idem d. b. T. II. p. 570. & seqq. exhibet.

nostrum labore circumscriptimus, esse ipsam alienam, infra adparebit (l). Illud ipsum in causa est, quare nunc, licet brevissimis, nec quantum argumenti dignitas jubeat, de jurium utriusque Vicario competentium æqualitate dicturi simus, quæ præcipere jam ob sequentia capita nostrarum erit partium. Est enim Viri celeberrimi sententia (m), duos Germaniæ interreges universum Imperium non sejunctis olim provinciis, sed jurisdictione invicem *divisa* administrasse, Palatinum nempe circa civilia, Saxonem circa criminalia & res bellicas fuisse occupatum. Optarem, opinionem suam idoneis confirmasset argumentis, sed cum ea facile labefactari multis queant dubiis, verendum, ne & ipsa corruat. Qui enim attenderit ad ea, quæ in medium sumus prolaturi, me quidem judice, haud temere colliget, ante auream etiam bullam diversis quæcumque vicarium terris præfuisse. Primo quidem illud manifestum est, Palatinum in provinciis juris sti, criminales etiam causas sibi vindicasse. Jus certe banni speculum ipsi Alemannicum tribuit (n), neque enim aliud irinuunt verba: *comes palatinus jus habet banni concedendi trans Rhenum, &c. & quamvis Rex bannum ipse non concesserit, jus tamen banni concedendi habet.* Non lynceum esse oportet, qui inde possit perspicere, jam tum temporis diversas vicariis adsignatas fuisse terras, atque Palatini potestatem non limitibus causarum civilium fuisse circumscriptam: Quodsi Vir celeberrimus velit excipere, in hoc capitulo, unde verba produ-

(l) C. 3. & 4. (m) Quam in Germania Principe, ejusque editione utraque exponit fufius, ubi de juribus Saxorum atque Palatini placita sua tradit. (n) C. 42. §. 7.

produximus, de vicariis agi regis absentis, recte regerit doctissimus *Gribnerus* (o), quando recte sibi colligere perfadeat. Vir præstantissimus, a ratione munieris, quod duo Principes præsente Rege sustinent, ad officium vicariatus, ipsum ægre neutiquam laturum, quando nos a casu absentia ad casum vacuæ sedis inferimus. Quemadmodum vero comprobavimus, Palatino criminales etiam causas competuisse dijudicandas, ita Saxonii non competuisse civiles, tum demum fidem vir celeberrimus dictis faciet, quando suo argumentorum ariete contrariam sibi sententiam, sed usu receptam longaque temporum serie observatam poterit concutere, ne dicam evertere. Evidet se quæ huc faciunt, loca in promptu habere profitetur, in quibus abunde pateat, *Palatinum Rheni in Saxonia vicariatum in civilibus exercuisse*. Sed ne unum quidem attulit, ut Lettori a præjudicatis opinionibus libero, foret integrum dijudicare, num de iis forte actibus loquatur, qui extra ordinem quandoque contigerunt. At ubi nullum protulit in medium, tam diu nobis de ipsius adsertione dubitare licebit, donec alia ratione satisfaciat; præsumtio certe tamdiu pro nobis militabit, præsertim cum probabile non sit, Carolum IV. si prisca vicariatum conditio per A. B. tam insigniter fuisse mutata, nullam ejus rei injecturum fuisse mentionem. Neque plus roboris ipsius sententiæ addunt, Archimarechalli & Drotseti vocabula, quibus tamen forte omnis viri celeberrimi innititur conjectura, uti ignotum illis esse minime poterit, qui ipsius librum attente perlegerint, ubi de

---

(o) Loco supra dicto §. 3. n. (e)

de juribus Saxonis atque Palatini placita sua tradit. Quemadmodum enim procul dubio frustra erit, quando Palatinis voluerit persvadere, ipsorum vicariatum inhærere Drotseti muheri, ita quid Saxones sint responsuri, ubi muneri Archimareschalli ipsorum vicariatum connectit, nullo poterit prævideri negotio. Accedit, quod ne hoc quidem hactenus probaverit, Drotsetum circa causas tantummodo civiles fuisse occupatum. Quanquam lubens concedam, nec eos ab omnibus esse immunes difficultatibus, qui vel ex palatinatu vel ex Ducatu origines vicariatus arcessunt. Certe prostant exempla vicariorum apud Saxones, quos fuisse Duces in Annalibus nuspia legas. Sed ut e diverticulo in viam redeamus, argumentum nunc, quod palmarium est de Vicariatu potissimum Sabaudi persequemur.

## CAP. II.

De

## Origine Vicariatus Italici.

## CONSPECTUS CAPIT. II.

- §. I. *Vicariatus in Italia stabiliendi occasio, ejusdemque a turbulentis Italorum, frena subinde mordentium, ausibus, vindicati, causa.*
- §. II. *Quam varii, & qua rerum vicissitudine, Vicariatus Italici dignitate ornati sint.*
- §. III. *Quinam bac munia gesserint, sub Henrico VII.*
- §. IV. *Quinam Vicarii Ital. a Ludovico Bavarо & succendentibus Imperat. constituti sint, it. qua ratione jura vicariatus Ital. modo neglecta, modo denuo asserta sint a Germanis.*

C

§. V. De

§. V. De Vicariatu Mediolaneus.

§. VI. De Vicariatu Montuano.

§. VII. VIII. & IX. De Vicariatu Sabaudico ex fide dignis,  
Diplomatum prefertim monumentis, differit.

§. I.

**N**emo mirabitur, qui faciem Reip. Romanæ olim liberam atque compositam, mox furore barbarorum misere laceram atque rugis undique obsitam, intueatur, varios in Italia extitisse vicarios, qui gentem nova semper molientem atque graffantem turbis, contra fidem datam ad pristinam culminis majestatem compescerent. Ubi enim ad Carolum M. ipsiusque progeniem, post ad Ottones, ipsorumque in Germania successores, rerum summa in Italia, gentium olim domina, pervenisset, factum est, ut quod ipsi non possent, negotiorum multitudini foris domiq; gestorum imersi, difficultatibus etiam viarum represi, per vicarios nobilissimæ provinciæ consulèrent. Quanquam & Imperatores Græci suos mitterent subinde exarchas, de quib⁹ tamen multa nunc dicere nihil attinet. Carolum vero M. Ludovicum, quem Pii cognomine monachi vel ornarunt vel foedarunt, aliosque qui hos insecuri sunt, suos misisse legatos, qui vicibus suis fungerentur, præterquam plurimos alios, *Sigonius* (a) exponit. Equidem quod Francorum res magis magisque attritas viderent, tandem Itali spiritus sumebant, libertatem pristinam, cuius tamen ne umbra quidem fere supererat,

---

(a) In histor. regn. Ital. Lib. IV. alibique passim.

erat, recuperandi: Sed barbarorum incursionibus, di-  
reptionibus, oppressionibus, conatus ipsorum repelle-  
bantur, fidei poenam violatae dantum. Fuisset autem  
ferme clamatum cum universa gente, nisi fortitu-  
dine Germani ausus barbarorum repressissent, eam.  
que, quam eventu rerum didicerant, minus esse  
idoneam, quae imperii teneret gubernacula, ad me-  
liora reduxissent, parere nostris jussam. Quando vero  
Germania, intestino vulnere ferme enecata, Pontificura  
Romanorum perfidia, funestaque Francorum atque  
Saxonum emulatione, suis veluti ruinis, cædibus, in-  
ternacionibus insepeliretur, Itali fato nostro excitati,  
quicquid imperioriae ferme potestatis apud ipsos erat,  
conculcare nefarie contendebant. Frustra tamen fue-  
runt, quandoquidem Germania, quos sibi ipsi creave-  
rat Augustos, novis subinde copiis instruxit, quae per-  
fidiae poenas a malesana gente reposcerent, vicarios-  
que nomine Imperatoris, rebus Italorum consulentes,  
cum autoritate constituerent. Ut vero jura Germa-  
norum clariora reddamus, instituti nostri memores,  
quædam vicariorum exempla adducemus ex Scripto-  
ribus, qui industria se atque fide commendarunt.  
Temporis hinc rationem habituri, promiscue illos,  
quos Cæsares, sua auctoritate communitos, Italæ præ-  
fecerunt, ut ipsi jus dicerent, proferemus; Ea quæ  
ad Sabaudicas res, Mantuanas atque Mediolanenses  
pertinent, ultimis tantummodo lineis reservaturi.

§. II. Ne vero ultimum præteriti temporis spa-  
tium repetamus, Auctor vitæ Mathildis commemorat,  
vicariatum Liguris regni ab Henrico V. concessum

C 2

fuisse

fuisse Mathildi (b). Ex Ottonis IV. historia novimus, ipsius vices apud Ferrarenses obiisse Hugonem (c) Fridericus autem II. quamplurimos ad tantos provexit honores. Ex Laurentio enim *de Monacis* discimus (d), ipsum ornasse Theobaldum Franciscum dignitate potestatis Paduæ, atque vicarii Marchiæ Tarvisinæ, a flumine Olii usque ad Tridentum. Ibidem ad illud honoris culmen ab ipso evehebatur, præter Geveardum de Saxoniam, Simon Comes Trutinus de Apulia (e), cui moderante Ecelino, summæ dignationis apud Augustum viro, uti ex litteris ipsius apud *Maurisium* in historia Marchiæ Tarvisinæ constat, successere varii in Marchia Tarvisina. Manfredus quidem Richus, civis Tarvisinus, apud Vicentinos, Henricus de Ygna, filius sororis Ecelini, apud Veronenses, & Galicanus Lancea apud Paduanos (f). Quemadmodum vero Henricus de Ygna procul dubio Ecelini favore adjutus, adhuc 1247. in pristino dignitatis fastigio substitutus, ita Galicanus Lancea mox an. 1244. Imperatoris jussu suum viderat successeorem Comitem Wizardum de Roaldefaco, facri imperii vicarium a flumine Olii usque Tridentum, itemque Paduæ vicarium appellatum (g). Ipsum an.

no

(b) Vid. illustr. Leibnitz Tom. I. script. Rer. Brunsv. p. 682.

(c) Ricciard. in S. Bonifacii vita p. 72.

(d) In Histor. Venet. l. 13. p. 86. conf. Mussatum de factis in March. Tarvis. p. 43.

(e) Mussat. in memor. temp. l. 4. p. 35. conf. tamen Dn. Struvium in Sytagm. Jur. publ. p. 285. qui hunc Theatrum vocat.

(f) Mussat. l. c. p. 49.

(g) Id. p. 55.

no 1249. insequebatur, Guecius de Prata, eodemque anno, Ansedius de Widotis, filius sororis Ecelini, eidem fastigio admovebatur (h). Sub auspiciis ejusdem Friderici ao. 1236. Sigibertus de Mantua Vicentinis præfuit (i), quod ante ipsum præstitere Ecelini (k) atque Wilhelmus, civis Mantuanus (l). Ao. vero 1238. fuit Henricus de Ebulo de Apulia potestas, ut loqui moris erat, Vicentia, pro Theobaldo Francigena vicario Imperatoris, apud Veronenses, Vicentinos, atque Paduanos (m), Anno sequenti Vicentini eodem mactatum honore colebant Rizzardum Thibaldinum; Fulginantibus vicarium a Friderico Augusto esse datum Thomasum de Aquino, *Petrus de Vineis* (n) fuse exponit. Hæc fere sub Friderico II. fuere gesta. Mox aliam tempestate infsecitura faciem Italiae res induisse videbantur, ubi capite fere orbata Germania summa miscebat imis, fasces imperii mox huic mox illi absque læto rerum successu deferens. At legimus tamen (o) potestatis charactere fuisse insignitos apud Paduanos a. 1257. Johannem Padoarium de Venetiis, a. 1258. Mattheum de Corrigia & 1259. Guidonem de monte Fojano, alias que, a Paduanis quidem electos, ab Imperatoribus vero plerumque confirmatos (p) sub Rudolpho Habsburgico, Adol-

## C 3

co, Adolf-

(h) Id. L. 6. p. 58. conf. etiam Mauritz. de dissid. Estens. cum Eccelino apud Dn. Leibnitz. T. II. Script. Brunschvic. p. 26. seq.

(i) Maurilius in Hist. March. Tarvis. p. 27.

(k) I. c. p. 10. conf. Nicol. Smeregi Chron. p. 58.

(l) I. c. p. 27. & Nic. Smereg. Chron. p. 59.

(m) I. c. p. 47. (n) Epist. 21. p. 284. (o) In Musst. I. c.

(p) Vid. Diploma quod Musstatus exhibet I. c. Lit. A.

co, Adolpho Nassovio, atque Alberto I. res imperii apud Italos agilentius videbantur. Hinc non est, quare multis ipsorum vicarios producamus in apricum, quamquam de singulis exempla prostent in historiæ documentis. Evidem Rudolphus Habsburgicus Hohenneckium ad Italos misit, quibus titulo vicarii præcesset, sed contranitenti Papæ obsecutus, ipsum revocavit, quod *Gerrardus de Rœ* in Annalibus Austriacis, atque *Fugger* in speculo honoris Austriaci uberius tradunt. Illud tamen omittendum non est, Rudolphum vice sua constituisse, Henricum Furstenbergii Comitem rectorem Romaniolæ & maritimæ (q).

### §. III.

Quando vero procerum consensu Henricus VII. fata rerum dispensare humanarum cœperat, pristini juris solertissimus atque fortissimus stator, mirum non est, subinde in monumentis historiarum deprehendi vestigia, ubi imperii nomine vicarii in Italia vocabantur. Singulare hac de re apud Mussatum (r) Diploma extat, unde simul varia notatu digna, potissimum discrimen inter vicarium generalem & specialem, possis adscere, Quare nos illud hisce adjunxisse neminem forte pigebit. Ita sese habet;

„Henricus VII. Dei gratia &c. &c. Universi sacri „Romani Imperii fidelibus præsentes litteras inspectu- „ris, gratiam suam. Tunc fidelium & devotorum im- „perii multipliciter accenditur devotio, cum munifi-

cen-

(q) Exemplum Diplomatis extat apud Lambecium in Bibliotheca Vindobonensi Lib. 3, addit. 8.

(r) In Histor. Henrici VII. p. 15.

centiam regiam & in justitia facilem fenserit. Hinc „  
 est, quod sapientum virorum consiliis & communis „  
 Paduæ delectorum fidelium nostrorum tranquillitatii „  
 favorabiliter prospicere cupientes, concedimus & de „  
 benignitate regia indulgemus eisdem, ut singulis sex „  
 mensibus quatuor probos viros idoneos nobis & im- „  
 perio fideles eligere valeant, & eorum electionem „  
 notitiæ nostræ suis patentibus litteris sigillatis inti- „  
 mare, si in partibus Lombardiæ, vel Tusciae aut aliis „  
 intra montem Lombardiæ fuerimus constituti. Nos „  
 que de prædictis quatuor unum quem volemus, da- „  
 bimus & præficiemus in Vicarium, & Rectorem di- „  
 ctae civitatis Paduanæ duntaxat ad sex menses; no- „  
 strisque patentibus litteris Episcopo Paduano com- „  
 mittemus, vel alii personæ idoneæ Paduæ commo- „  
 ranti, qui ab eodem vicario sic auctoritate regia præ- „  
 fecto, sacramentum recipiat nostro nomine. Quod „  
 regimen prædictæ civitatis bene legaliter (s) & fide- „  
 liter ad honoram & utilitatem nostram & imperii ex- „  
 erceat. Si vero extra terminos Lombardiæ nos ex- „  
 istere contingeret, electio prædictorum quatuor „  
 Generali significetur nostro vicario Lombardiaæ, qui „  
 unum ex eisdem præficiat in Vicarium civitatis Pa- „  
 duæ, modum & formam nostram per omne serva- „  
 turus Dat. in Castris ante Brixium ao. 1311. „

Paduanis imperante Henrico VII. vicarium fuisse da-  
 tum legimus Gerardum de Ynzola (t). Astenibus  
 Nico-

(s) De hac voce conf. Rolandinus Hist Ravennat. L.7. c.2,

(t) Vid. Musstatus in Codice Molinæo p. 148.

Nicolaum de Bonsegnoribus (u) Vicentinis Janizerum de Pisis, Advighetum de Castrobarcho atque Canem grandem della scala (w) Bripiensibus Albertum de Roylogone (x), Parmensibus nobilem quendam de Melaspinis(y), si *Mussato* fides habenda. Chronicon enim Parmense illum ignorat, loco ipsius commemo-rans Gibertum de Corrigia, cui adsentitur *Carrarius* (z) Et denique quod *Mussatus*, quem sc̄eplius allegavimus, ait. (a) *Omnes fere Lombardie civitates, Cremona ab Alpibus binc Veronam usque & Mutinam inclusive, Vicarios suscepere novis legum sanctionibus, ad Regis placitum vita necisque potestatem habituros.*

#### §. IV.

Ludovicum Bavarum, vices suas Parmæ ut obi-ret, jussisse, Marsilium, fratrem Rolandi de Rubeis, ex *Cortruſii Patavini Historia Paduæ & Lombardiae* di-scimus; sub eodem id muneris gessisse apud Paduanos, Griffum de Villandros ex *Rolandino Grammatico* de Ge-stis marchiæ Tarvisinæ constat. Castrucio de Antell-minellis ao. 1324 etiam concessit Vicariatum civitatis Pistorii, & totius comitatus & districtus ejusdem, ac in omnibus aliis terris sitis infra confinia supra dicta, & in dieceſi Lucana, Pistoriensi & Lunensi(b). Sub  
hujus

(u) Id. in Hist. Henr. VII. l. 1. p. 5.

(w) Supplement. Chron. Nicolai Smeregi p. 66.

(x) *Mussat.* d. l. p. 7.

(y) Id. in Hist. Henrici VII. L. 2. p. 10.

(z) In Histor. Parmens. l. 2. conf. Laurentius Pignorius in Hist. *Mussat.* p. 14.

(a) d. l. p. 5. & Chron. M. C. t. quod excerptis Pignorius in hist. *Mussati.*

hujus quoque auspiciis Johannes Bohemæ Rex, Parmensibus Rolandum Rubeum, Lucensibus Marsilium, Mutiensibus Manfredum de Piis, aliisque alios præfecit, quod quem modo laudavimus, Rolandinus Grammaticus docet. Carolus postquam diademat Germanorum cinctus esset, res equidem imperii dissipasse traditur, Petrum tamen Baduarium constituit, qui auctoritate Cæsarea Paduensis præcesset (c). In Diplomate Sigismundi, quod apud Guichenonium reperias (d), Brunonium de Scala videoas vicarium Veronæ generalem fuisse vocatum. Sequitorum temporum injuria factum est, ut quando opes Germaniæ fere internecione delerentur, vulneraque semel sopia ta, semper recrudescere intestini turbis cogarentur, vix ea quidem cura atque par erat, Italorum ratio haberetur. Neque tamen omnem plane imperatores nostri abjecerunt, sed subinde se jurium Germanorum vindices atque Statores commonstrarunt, id quod vel ea, quæ sequentur, comprobabunt, ubi de Mediolanensi, Mantuano, atque Sabandico vicariatu plura trademus.

§. V.

Quod itaque ad vicariatum Mediolanensem attinet, idoneo scriptorum testimonio confirmari potest, Henricum VII. urbi Mediolanensi vicarium præfecisse

D. O. domini

(b) Vide quod extat Diploma apud Freherum T. I. Script rer. Germ. app. p. 31, conf. Illustr. Leibnitz, Cod. Jur. Gent. Diplom. p. 128.

(c) Vid. Roland. Grammat. l. c.

(d) Hist. de Savoye T. 6. p. 276.

dominum de Bonisgnonibus (e). Maphæus autem ipsius atque *imperii Vicarius Generalis* Mediolani audit *Muffato* (f). At jam ante legimus, Adolpho scilicet Nassoio imperii habenas tenente Matthæum Mediolani vice comitem Cæsareum vicarium universæ Lombardiae fuisse declaratum, cunctisque ejus terræ populis demandatum, ut ei ceu imperiali procuratori parent (g). Hoc postea munus Albertus (h), Henricus VI. atque adeo Carolus IV. (i) & Ferdinandus III. confirmarunt. Matthæo Galeatius filius, atque nepos Azo successere (k), Tandem Wenceslaus ex Vicario Ducem creavit ao. 1395. Johannem Galeatium (l), quod postmodum inter causas ipsius depositionis fuit commemoratum in tabulis exauctorationis (m), forte operæ erit prætium, ob sequentia huc ipsa adponere verba: *Mutilasti imperium Mediolano & provincia Longobardia, que juris sacri romani imperii fuerant, redeuntibus inde*

(e) *Muffatus* c. I. l. i. p. 6.

(f) *De Gestis post Henricum VII.* p. 103.

(g) Vid. *Tristianus Calchus* hist. patr. lib. 18. ad ao. 1249. conf. *Sigoni de Regn. Ital.* l. 20. Idem Adolphus etiam Mutinensis & Montiferatensis Ducibus, id dignitatis imposuit, quam tamen, ut verum fatear, titulotenus potius quam reipsa gessisse videntur.

(h) *Ludovicus Cavellius* in *Annal. Cremonens.* ad a. 1302.

(i) *Cuspinian. Histor. Caroli IV.* p. 384.

(k) Vid. *Cortrusi Patavini Hist. Pad. & Lombard.* p. 45.

(l) Vid. *integrum Diploma*, quod exhibit illustr. *Leibnitz* in *Cod. Jur. Gent. Diplom.* p. 256. conf. m. *Schurtz-fleisch. Disp. III. de divis. imper. Carolini* p. 91.

(m) Apud *Goldestum Constitut. imperial.* p. 378.

inde ad imperium amplissimis emolumentis, in qua ditione Mediolanensis veluti minister sacri imperii partibus fungebatur, cum tu accepta pecunia Mediolani Ducem & Comitem Papiensem creasti (n).

## §. VI.

Nunc ut ad Mantuanum accedamus vicariatum, ordo postulat. Sed qui Mussatum saepius a nobis in subsidium vocatum, Julianum Gofelinum, Antonium Possevinum, Baptistam Sachum, huic usque commentatorem Lambecium, aliosque rerum Mantuanarum auctores perlegere velit, facile deprehendet, varios fuisse ad hoc ibi dignitatis culmen proiectos. Mentio fit cuiusdam Lupi Farinatæ de Ubertis, Passarini aliorumque, quos, ut temporis habeamus rationem, de industria prætermittimus. Illud tamen in memoriam juvat revocasse, superiori seculo, quando Carolus III. Dux Mantuanus partibus Cæsariorum & Hispanorum favet, Ferdinandum III. titulum ipsi vicarii generalis concessisse, frustra ad tempus in contrarium nitente Sabaudo. Ubi vero diem imperator obiisset supremum, ab Electoribus impetravit Sabaudus, ut vicariatu Mantuano sublato, ipsius jus vicariatus stabiliretur, quod in Leopoldi, Josephi atque Caroli capitulationibus fuit repetitum, atque jure jurando confirmatum (o). Quanquam nec illud omittendum, jus suum protestatione, quam vocant, sibi reservasse Mantuanum (p).

D 2

§. VI.

(n) Conf. Conring. de finibus imp. Rom. Germ. p. 334.

(o) Diar. Europ. T. I. p. 710. conf. illastr. Zechit Europ. Heold.

T. I. p. 532. & Capitulat. Caroli VI. c. XXVI.

(p) Vid. Lusdorp. Tom. VIII. Act. publ. c. 245.

## §. VII.

Tandem brevitatis studiosiores subjicere libet  
 quam paucissimis, originem vicariatus Sabaudici, re-  
 liqua capitibus sequentibus reservaturi. Certum est  
 Fridericum II. in Thomasium de Sabaudia honorēs  
 non solum generalis legati in partib⁹ ipsis(q) contulisse,  
 sed etiam officium, quod vocat præsidatus. Dignum  
 est, ut integrum Diploma hic exhibeatur, quod repe-  
 ritur apud Guichenonum (r), atque ita se habet:  
 „Fridericus Dei gratia, Roman. Imperator, Semper Augustus  
 „Hierusalem & Sicilię Rex, Praelatis Ecclesiarum, Mar-  
 „chionibus, Comitibus, Vavassoribus, nobilitatibus, Po-  
 „testatibus, Consiliis, Communitatibus & universis  
 „per Lombardiam a flumine Lambii superius consti-  
 „tutis, fidelibus suis, gratiam suam & bonam volun-  
 „tatem. Ad extollenda justorum præconia & repri-  
 „mendas insolentias transgressorum, prospiciens ē  
 „coelo justitia, erexit in populis regnantium solia, &  
 „diversorum principum potestates. Caruisset namque  
 „lubenter humana conditio, jugo Domini, nec liber-  
 „tatem a se, quam ipsis natura contulerat, homines  
 „abdicascent, nisi quia impunita licentia scelerum, in  
 „evidentem perniciem humani generis redundabat,  
 „& sic ex necessitate quadam, oportuit naturam sub-  
 „esse justitiae, & servire judicio libertatem: Sed, ne  
 „exquiri decuit extrinsecus aliam speciem creaturæ,  
 „cui se repræsentata per hominem, cœlestis imago sub-  
 „jaceret, dum in redditione census Numismatis impe-  
 „rium

(q) Quidnam Friderictis II. per partes illas intellectum voluerit,  
 non certo constat, hisi forsan vetus aliquod Ruperti diplo-  
 ma, Lombardiam Amparten sœpiuscule nominans, diffi-  
 cultatem tollere queat. (r) Hist. de Savoye L.6.p.92. & 93.

riūm præ cæteris, figuræ fastigium præsignivit, sed „  
 homo prælatus est homini, ut gratiorem efficeret „  
 prælaturam. Attendentes igitur, quod ex imperia- „  
 lis officii nostri debito, quod ex cœlesti dispensatio- „  
 ne suscepimus, villicationis nostræ rationem, sumus „  
 in die districti judicii reddituri, cum qualitate diver- „  
 forum negotiorum nostrorum, & imperio per non- „  
 nullas & diversas partes majestatis nostræ, præsen- „  
 tiā necessario requirente, in partibus, ipsi morari „  
 continuo præsentialiter nequeamus, ne majestatis „  
 nostræ præsidio & justitia careatis. Ecce, pro recu- „  
 peratione ac defensione nostrorum & imperii jurum „  
 & honorum, conservatione boni, & pacifici status „  
 nostri, & viva guerra nostris rebellibus inferenda, „  
 de fidelitate, industria & strenuitate *Thomasi de Sabau-* „  
*dia* Comitis dilecti consangvinei, & fidelis nostri ab „  
 experto plenarie confidentes, ipsum nostrum & sacri „  
 imperii generalem legatum, in partibus ipsis duxi- „  
 mus statuendum, nec cum sola legati potestate volu- „  
 mus esse contentum, sed ei adjicimus officium præ- „  
 fidatus, concedentes ei merum & mixtum impe- „  
 rium & gladii potestatem, & ut in facinorosos anim- „  
 advertere valeat, pugnando commissam sibi provin- „  
 ciam, in eos specialiter, qui stratos & itinera publica, „  
 censu temerario violare præsumunt, criminales, civi- „  
 les & liberales audiat, & determinet quæstiones qua- „  
 rum cognitio, si nos præsentes essemus, ad no- „  
 strum judicium pertineret, puniendos, inquirens, „  
 & puniens inquisitor, decreta ubique imponat, quæ „  
 in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, secundum „  
 justitiam interponi solent, & ut minoribus & majo- „  
 ribus, „

,ribus, quibus universalia jura succurrunt, causa co-  
 ,gnita, restitutionis in integrum beneficium largiatur;  
 ,plenam sibi concedimus potestatem, ad audientiam  
 ,quoque ipsius appellations deferri volumus, quas  
 ,a sententiis ordinariorum Judicum ac eorum omnium,  
 ,qui jurisdictionem, ab imperio nacti sunt, infra regio-  
 ,nem ipsam & ejus terminos contigerit interponi, nisi  
 ,forte vel causæ qualitas, vel numerus appellationum  
 ,hoc admant appellanti, ut tamen a sententiis suis ad  
 ,audientiam nostram libere valeat provocari, hor-  
 ,tandi quoque judices & notarios, plenam civilem le-  
 ,gato conferimus potestatem, quo circa fidelitati ve-  
 ,stræ præcipiendo, mandamus, quatenus dictum Co-  
 ,mitem Legatum & Præsidem nostrum & imperii, ut  
 ,diximus in regione præfata a nostra majestate sta-  
 ,titutum, tanquam præsentiae nostræ speculum sinceræ  
 ,devotionis affectibus admittentes, eidem super omni-  
 ,bus & singulis, quæ ad commissum sibi legationis &  
 ,præsidatus officium, ut superius est expressum, per-  
 ,tinere noscuntur, tanquam majestatem nostræ per-  
 ,sonæ ad honorem & fidelitatem nostram intendere,  
 ,obedire & parere efficaciter debeatis, ut devotionem  
 ,nostram proinde, de bono iu melius dignis laudum  
 ,præconiis extollamus. Datum Beneventi anno Do-  
 ,miniceæ incarnationis 1249. mense junii septimæ in-  
 ,dictionis.

Carolus autem IV. Amadæo Viridi Pragæ 1356. in-  
 diæ. IX. XII. Kl. Aug. privilegium concessit, ad cuius  
 dictum omnes ArchiEpiscopi Abbates &c. &c. judices  
 seculares tenebantur ad Sabaudum adpellare. Ipsum  
 quod

quod hic locum meretur Diploma *Guicbenorius* (r) ita nobis exhibuit. Hinc est, quod de tuae fidei & „ amoris constantia habentes fiduciam principalem, „ imperiali auctoritate decernimus, ut omnes adpella- „ tiones, quae & a quibuscunque ArchiEpiscopis Epi- „ scopis, Abbatibus, & Prælatis & eorum loca tenenti- „ bus, judicibus secularibus, infra terminos & limi- „ tes atque pertinentias, Comitatus tui Sabaudiæ „ constitutis, ad audientiam & tribunal nostrum impe- „ riale interponi haetenus consverunt, & de jure „ alias five consuetudine interponi deberent; ad tuam „ audientiam deinceps interponant, seu debeant inter- „ poni: Dantes tibi plenam & liberam de certa scien- „ tia potestatem, universas & singulas appellationum „ causas, quas a prædictis & eorum quolibet, five ab „ Actoribus, five Reis in quibuscunque causis singula- „ ribus criminalibus civilibus five mixtis, ad te vice „ nostra sicut præmittitur, ita enim ad nos in futurum „ interponi contigerit; & si quæ in præterito inter- „ positæ adhuc pendent, auctoritate nostri culminis „ audiendi & cognoscendi, terminandi, decidendi, „ sententias ferendi & executioni mandandi, aliaque „ omnia & singula faciendi, etiam si mandatum exi- „ gant speciale, & quæ in talibus appellationum causis „ ipse facere possumus, & possemus, si illas personali- „ ter tractaremus. Ratum, habitum & gratum ha- „ bentes, quicquid in his & aliis circa hæc dependen- „ tibus, emergentibus & connexis rite duxeris „ judicandum, ratasque habituras sententias, quas „ juste „

---

(r) *Histoire de Savoye* L. 6. p. 200.

„juste tuleris & pœnas, quas contradictoribus duxeris infligendas. &c. &c.

Mox anno 1365. Jnd. III. VIII. Kal. Jul. novis immunitatibus idem Augustus Amadæum ornavit, quando ArchiEpiscopum Lugdunensem, episcopum Matisconensem, aliosque certiores facit, se illustrem Amadæum in Comitatu Sabaudiæ & in partibus circumvicinis suum & S. imperii generalem vicarium constituisse, eosque jubet, ut nomine ipsius Amadæo se homagii vinculo devincent (s). Ipsum diploma ita sese habet;

„Carolus IV. &c. &c. Venerabilibus, ArchiEpiscopo „Lugdunensi Episcopis Matisconensi & Gratianopolis „Principibus, devotis nostris dilectis, gratiam suam & „omne bonum; Quia nos deliberatione matura & ex „nostra certa scientia Illustrem Amadæum Comitem „Sabandiæ consangvineum nostrum, & imperii factum „Principem in comitatu Sabaudiæ, & in partibus circumviciinis, & notanter in dictis Dicecisiis & in temporibus ipsorum & earum singulis, quantum imperio & in terris & Baroniis dicti comitatus se extendunt, & consistunt, nostrum & S. imperii generalem vicarium constituerimus, & sibi concesserimus, quod Vos & vestri Successores juramentum fidelitatis, subjectionis & homagii, & alia, quæ & sicut nobis & imperio præstare tenemini, pro predictis existentibus in imperio & Baroniis Comitatus ejusdem dicto nostro consangvineo & vicario præstare tenemini. Sicut hæc & alia in aliis nostris litteris desuper his

(s) Vid. Guichenon c. l. l. 6. p. 208.

„traditis plenius sunt expressa, devotioni vestræ man-  
„damus seriose. &c. &c. Dat. in Berno a. 1365.

## §. VIII.

Eodem sacri imperii generalis vicarii nomine  
ao. 1388. Amadæum VII. fuisse condecoratum alibi no-  
vimus (t). Postea Sigismundus Ludovicum Sabau-  
dum a. 1412. ipsis Kal. Julii vices suas obire jussit, in  
omnibus & singulis civitatibus, castris, castellis oppi-  
dis dominiis atque terris in partibus Pedemontium.  
Diploma quod fidem his, quæ diximus, facit, similiter  
reperias apud *Guichenonium* (u) & potissimum apud il-  
lustr. *Leibnitzium* (x) hujus sententiaæ:

*Sigismundus Dei Gr. Rom. Rex, Illusfr. Ludovico de Sa-  
baudia, Principi Achaja, gratiam regiam &c. Pensatis internis  
mentis nostræ consideratione, super excellentis famæ tuæ  
præconio circumspetionis industria, habendoq; respectum  
ad multa probitatis & præclare devotionis merita, quibus  
illustris Domus tua, recolenda memoria, progenitores, ip-  
sum imperium dignis quidem honoribus venerari studuerunt,  
& quod Tu ad nostros & imperii procurandos honores, tam  
singulari tamque puro inclinaris ardore. Te animo delibera-  
to, sanoque Principum, Comitum, Procerum & Nobilium  
accidente consilio ex certa nostra scientia & plenitudine  
Romana regia potestatis, nostrum & imperii sacri vicarium  
in omnibus & singulis civitatibus, castris, castellis, dominiis  
atq; terris, que & quas possides & tenes, in partibus Pede-  
montium ordinavimus, fecimus, constitutimus & creamus,  
dantes ex nunc & concedentes tibi plenam, liberam &*

E

omni-

(t) Vid. T. i. Traites de paix & d'Alliance p. 350.

(u) L. 6. p. 129.

(x) In Cod. Jur. Gent. Diplomat. P. I. p. 305.

omnimodam auctoritatem & jurisdictionem generalem & specialem, ac gladii potestatem, merum & mixtum imperium, vice & auctoritate atque nomine nostro, in prefatis civitatibus castris extendi, animadvertendi in facinorosos & reos coercitionem quamlibet, ratione praecisa & mediante justitia exequendi. Et ut etiam apud temerum & mixtum imperium, jurisdictione, sive contentiosa, sive voluntaria in eisdem civitatibus, castris, castellis, oppidis, villis, dominiis atque terris, ac subditis, incolis & hominibus ibidem secularibus duntaxat, cujuscunque status, preminentia vel conditionis existant, de rebus, contractibus vel quasi contractibus, ultimis voluntatibus, maleficiis, criminibus & delictis, vel quasi commissis & perpetratis in subditos, incolas & homines prefatos, & per eos, seu etiam per alios in dictis civitatibus, castris, castellis, oppidis, villis, dominiis atque terris perpetratis, seu etiam perpetrandis, exerceatur libere, secundum quod jus & ratio persuadentur. Concedentes tibi nihilominus auctoritatem plenam, penam & multas ratione previa imponendi, levandi, & ex causis rationabilibus augmentandi, minuendi, remittendi in judicio & extra, Iudeos Camera nostra servos acceptandi, defendendi, & tuendi jura Cesarea; collectas, subventiones ab ipsis prout hoc honor Imperii & necessitas postulaverint, exigendi, in judicio & extra, in eausis, questionibus, arbitriis, arbitramentis & litibus quibuscunque, tam cum causarum cognitione quam sine, Deum pra oculis habendo, ac de piano & summarie sine strepitu & figura judicio

judicii sola veritate inspecta procedendi, determinandi,  
 sententias exequendi, fugitivos inquirendi, & puniendo  
 maleficos, assassinos & robatores stratarum, laqueandi, ju-  
 dicandi, ac piratas maris submergendi, juxta sacrorum  
 legum Canonum & jurium communium sacratissimas san-  
 ctiones, & prout secundum ritum & terrae consuetudinem  
 municipalia jura & statuta persuaserint; ac proditores  
 decapitandi, suspendendi, & eos ac eorum quemlibet, dum  
 & quotiens se casus obtulerit, condemnandi, puniendo,  
 membra truncandi, fustibus cedendi, de patria ad tempus  
 vel perpetuo relegandi, carcerandi, & igne cremandi, mu-  
 tilandi, debilitandi, bona talium publicandi & confiscandi;  
 officiales instituendi, & de omnibus criminibus ordinariis  
 & extraordinariis, enormibus, levibus, publicis & privatis  
 cognoscendi, puniendo & executiones faciendi, ac tam se-  
 cundum jura communia quam municipalia decidendi, cogni-  
 tionem & decisionem hujusmodi committendi, in integrune  
 restituendi, absolutionem quamlibet in judicio vel extra  
 exercendi, infamiam tam juris quam facti irrogandi, ab-  
 solvendi & disponendi de causis principalibus, & appella-  
 tionibus quibuslibet, tanquam judex a nobis delegatus,  
 cognoscendi, examinandi, decreta primum, secundum, &  
 cum juris solemnitate tertium interponendi, jura declaran-  
 di, & omnia qua causarum merita requirunt, exercendi &  
 exequendi, ita tamen, quod a tua sententia, vel senten-  
 tiis ad audienciam nostri culminis, possint libere, totiens  
 quotiens opportunum fuerit, procurare, monetas sub vero  
 pondere, aureas & argenteas instituendi, ferias imponen-  
 di & tollendi, rebelles sacri imperii persequendi, & puni-  
 endi, nec non omnibus & singulis te, atque tuos, acterras,  
 & dominatus injuste opprimentes, seu invadentes, ac

opprimere seu invadere molientes, in quantum justa reſſentia, vel defensio exigunt vim vi repellendo reſſtendi, ac judicandi decreta, statuta & proviſiones in predictis omnibus & quolibet predicatorum faciendi, de novo corri-gendi, tollendi jam facta ſemel & pluries aut totiens, quoſiens oportunum fuerit, & ordo dictaverit rationis, dotes & dotalitia, donationes propter nuptias admitten-di, approbandi, & conſirmandi, mente captis curatores, & orphanis, pupillis & viduis tutores proficiendi, devo-tutiones fiscales quarumcunque hereditatum ſeu etiam re-rum mobilium & immobilium, dum ratio & jus illud exi-gerint, noſtro Regio nomine exigendi tenutam (z) & poſſeſſionem talium pro nobis & Imperio capiendi, & generali-ter omnia & ſingula, que ad verum & legitimum ſacri Romani Imperii in ſupra dictis civitatibus, caſtris, caſtel-lis, oppidis, villis, dominiis atque terriis, vicarium per-tinent, ut premittitur, libere & absque impedimento quodlibet faciendi; etiam ſi qua ex eis jure vel conſuetudine exigerent mandatum magis ſpecialie, ſacrosancta Eccleſiaſti-ca libertate, ac noſtris & imperii ſacri juribus, nec non regalibus & feudis quorumlibet Epifcoporum, Prelatorum, ac ceterarum Eccleſiaſticarum & ſecularium personarum, in preſatis dominis conſentium, que a nobis & imperio ſacro immediate dependent, in premissis omnibus & ſingu-lis ſemper salvis. Quapropter fidelitati tuae firmiter & diſtincte precipiendo mandamus, quatenus ad ſtatutum pa-cificum civitatum caſtrorum, caſtellarum, oppidorum, villa-rum, dominiorum, atque terrarum predicatorum, ac recuperatione noſtrorum & Imperii ſacri jurium in premis-sis

(z) Idem eſt, quod Gallis dicitur Tenuë, vid. Petrum de Vineis Lib. 5. Ep. 92. & Gesta Innocentii III. p. 148.

sis omnibus & singulis fidem & sollicitudinem tuam, sicut de te confidimus, sic efficaciter & diligenter impendas, ut ipsis diligentiae tue testimonio, electionis nostrae judicium commendetur, dum talem & tanto negotio duximus praeponendum, ex cuius fidelitate, fide & justitia Serenitatis nostra salutare propositum, de observatione jurium imperii singulis exprimatur. Presentium sub nostre Romanae Regie Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Buda, anno Domini M CCCC XII. prima die Julii.

Maximilianus I. a. 1503. pristina Sabaudi jura non confirmavit solum, sed eorum limites etiam ultra protulit, quod nos docet monumentum Guichenonii, historiae insertum (a). Non forte ægre tulerit tector, si & illud hic subjiciamus:

*Maximiliatus I. Dei Gr. &c. Privilegium sive litteras Sereniss. Dn. Caroli Roman. Imperator. IV. in iis, ut premittitur insertum per a nobis commissos solerter visitatum eidem Philiberto Sabaudiae Duci & suis imposterum successoribus tanquam dicti Imperii sacri vicario perpetuo in ea parte, ut premittitur deputato confirmamus, ratificamus & approbamus, ac roboris firmitatem perpetuo obtinere volumus, illudque seu litteras ipsas de novo pro nobis & nostris predictis, eidem Duci Sabaudiae & suis predictis concedimus & elargimur, prout superius est insertum, Episcop. Vercell. & Montis Regalis numero Episcop. indicte praensorio privilegio Dn. Caroli IV. nominatorum & specificatorum aggregantes, & prestationi fidelitatis & obedientie, de quibus in eodem instar eorundem Episcoporum subjici volentes, declarantes & gratiose concedentes in*

E 3

vime

(a) L. 6. p. 486.

vim prenarrati privilegii per nos confirmati, & de novo concessi. Quod universi & singuli Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Religiosi, Prelati & alii homines & personae nobiles & ignobiles civitatum & Diocesum Sedunen, Lausenan, Gebenen, Augusten, Tporregien & Taurinen Maurianen, Vercellen & Montis-Regalis Ducatus Sabaudie & ultra montes & terrarum eidem adjacentium, nec non Diocesin Lugdun. Matisconens. Gratianopolitan. in quantum in imperio & districtu in terris ipsius Ducatus Sabaudie eadem Dioceses Lugdunens. Matiscon. Gratianop. existunt. Qui nunc sunt, & pro tempore fuerint, omnia homagia, fidelitates, subjectiones & obedientias ad quæ & sacro imperio tenentur, & sunt ad stricti pro feudis temporibus quæ ab ipso sacro obtinuerunt imperio, prefato Duci Sabaudie & suis perpetuo successoribus tanquam dicti imperii sacri vicario & vice nostra ac Romanorum imperatorum & Regum successorum nostrorum facere, prestare & recognoscere tenentur infra terminum per prefatum Dn. imperatorem suis in litteris praesertim stabilitum, &c.

### §. IX.

Carolus denique V. a. 1531. Beatrice Ducissæ Sabaudiæ, ipsiusque successoribus vicariatum comitatus Astensis & marchionatus Cœvæ concessit, in cuius fidem Guichenonius (b) insigne producit documentum, ex quo illud mutuo sumtum hic legas :

*Carolus V. Ad perpetuam rei memoriam &c. Recognoscimus & potum facimus presentium universis. Quum nuper illustrissime Beatrice Infanti Portugallie, Ducisse Sabaudie Principi & Sororiæ nostra carissimæ, Comitatum Astensem, pleno jure ad nos spectantem & per-*

---

(b) L. 6. p. 595.

& pertinentem pro se suisque heredibus & successoribus in feudum concesserimus, cupiamusque eandem illustriss. Beatricem cum ob regalis sanguinis eminentiam tum ob arctissimam, quae nobis cum eadem intercedit affinitatem, & singularem affectionem, quo nos resque nostras prosequitur, amplioribus donis & prerogativis ornare, motu proprio, ex certa nostra scientia non per errorem aut improvidentiam, sed animo deliberato ac sano Principum, Comitum, Procerum & aliorum nostrorum & imperii sacri fidelium dilectorum accidente consilio & de nostre Cesareae potestatis plenitudine, eidem illustr. Beatrici, suisque in dicto comitatu Astensi heredibus & successoribus, vicariatum ipsius comitatus Astensis, necnon marchionatus Cœve cum omnibus eorum pertinentiis, juxta formam & sub pactis & conditionibus in investitura eidem illustr. Beatrici concessa, iisque semper salvis concedimus, ipsamque Beatricem atque ejus heredes & successores nostros & sacri Romani imperii vicarios, in his omnibus constituimus, & praescimus generales, concedentes eisdem plenam rem & omnimodam temporalem & gladii potestatem ac jurisdictionem. Nec non merum, absolutum & mixtum imperium &c. &c.

Cum etiam a. 1547. Joannes Andreas Comes Crescentinus, post litem inter se & procuratorem fisci Sabaudiæ generalem motam, a sententia delegatorum Ducis Sabaudiæ temere ad Imperatorem adpellasset, appellationem Carolum V. sequentem in modum rejecisse, historiæ monumenta tradunt (c).

Carolus V. Dei gratia &c. &c. Mandantes propterea omnibus & singulis ArchiEpiscopis, Episcopis, Principibus, Comitibus fidelibus dilectis, cujuscunque status & conditionis existant. Quatenus super premissis, quoties opus extiterit, ad illustrem Ducem Sabaudiæ vice nostra recurrent, & recurri faciant, eam illi in his, quam nobis dererent obedientiam & reverentiam exhibendo, & ejus mandatis atque senten-

(c) Ipsum hoc mandatum invenias quoque apud Guiche-  
non. L. 6. p. 500.

sententiis, absque contradictione parendi & centrarium non faciant, neque facere sive attentare, aut contra formam privilegiorum a predictis Divis, predecessoribus nostris romanorum imperatorum & regibus, ac nobis ipsi illustri Affini & consanguineo nostro, ejusque progenitoribus Sabaudiae Ducibus concessorum & confirmatorum formam & tenorem appellare seu provocare, sive quicquam aliud innovare, aut quomodolibet recurrere audeant, sive presumant.

Frater Caroli Ferdinandus, a. 1562, Emanueli Philiberto Sabaudiæ Duci, perpetuum imperii vicariatum confirmavit, quod discimus ex ipsius literis apud Guichenonium (d). Reliqui etiam plerumque Imperatores antecessorum placitis sua adprobatione, novum robur addidere; Hæcque ad natales vicariatus Italici adnotasse sufficient.

(d) L. 6. p. 522.

### CAP. III.

De,

## Potestate Vicariatus Italici.

### CONSPECTUS CAPIT. III.

§. I. Quid per vicariatum etymologicè spectatum, cum in genere, tum in specie, intellectum velimus.

§. II. Vicarii Italia, quam vario fuerint insigniti nomine, & quam varie divisi; explicata simul vicarii generalis potestate.

§. III. & IV. Eminentiora dignitatis Sabaudi jura ac privilegia; quorum beneficio prima illi partes ante omnes Italiae Principes ad signantur.

§. V. Potestatem vicariorum esse quidem insignem, non vero ultra

ultra commissas iis ab Imperatore provincias exten-dendam. Error proinde eorum, qui generalem cun-ctæ Italie administrationem illis perperam tribuunt, refellitur.

§. VI. Eadem evincitur, Ducis Mantuani, Imperatoris Leo-poldi & recentissime Ducis de Uzedo exemplis.

§. VII. Eadem porro probatur, cum nuperrimo juris ex-ercitio, quo Vicarii German. litium, Mutinensem in-ter ac Parmensem, Duces ortarum compositionem demandarunt, tum ex analogia subjectionis a Vi-cariis, Ital. imperio ejusque capiti superstite, non mi-nus debita, quam qui hujus supremas vices gerunt, German. provisoribus.

### §. I.

**V**icarium esse, qui alterius gerit vices, ipsa no-minis significatio, ususque rerum plane con-firmant. Quemadmodum vero admodum sunt inter se remoti, quorum nomine res suscipiuntur, ita facile patet, tanto quemque Vicarium honoris fa-stigio transcendere alium, quanto dignationis gradu, illi inter se sunt distincti, quorum auspiciis suas confir-mant actiones. Nos ne extra oleas vagemur, de Vi-cariis Augusti dicturi, & quidem in Italia, reliquos omnes studio mittimus, unius Sabaudi jura adnotasse contenti.

### §. II.

Neminem autem credimus, tam historiæ Ro-manæ esse expertem, qui non ex Henrico Pignorio (a)

F

nove-

---

(a) Ad Mussati Histor. Henrici VII, p. 42.

44

noverit, varia olim fuisse iis nomina imposita, qui mandato Cæsaris ipsius personam apud Italos suscipiebant. Mox enim audias, iplos fuisse adpellatos *Comites*, mox *Vice Comites*, *Legatos*, *imaginarios persone regis* (b) *vicarios Regis, imperii, vicariosque generales*. Postremum genus alios plerumque vel regionis cui præterat amplitudine, vel alia ratione eminebat, ita quidem, ut reliqui plerumque ab horum nutu pendere cogerentur. Hæc ut nemini forent obscura, diploma supra adlegatum Henrici VII. facit (c), in quo legas, vicarium Paduanum fuisse urbi præfectum, ab Imperatoris vicario Lombardiae generali. Varios autem vicarios generales deprehendet, cui res in Italia gestas evolvere erit volupe. Hunc enim latere neutiquam potest, Fridericu II. Italiæ filium Henricum veluti generalem vicarium præposuisse (d), & sub ætatem Henrici VII. Bertholdum Comitem de Marsteden fuisse adpellitatum vicarium, in partibus Italiæ, generalem. Eodem nomine insignitum sub hæc tempora invenimus, in civitate & districtu, quem vocant Mediolanensi, Mattheum ViceComitem. Carolo IV. habenas imperii tenente, apud Baduanos Franciscum de Carraria, & sub Ruperto Palatino Brunonium de la Scala, ipsiusque filios masculos legitimos, idoneis quod supra (e) testimoniis confirmabamus. In primis Thomasium

---

(b) Ita Thomasium de Aquino suum vicarium adpellat, Fridericus II. apud Petrum de Vineis Ep. 21. VI

(c) Cap. II. Diss. nostræ.

(d) Petr. de Vineis L. 2. p. 263. & p. 314.

(e) Cap. 2. Dissert.

masium Sabaudum jamjam ab Imperatore Friderico II. fuisse nominatum suum atque sacri imperii generali legatum, luculento alibi adserui monumento (f). Quo elogio serenissimam Domum sœpius esse ornata, ex iis, quæ supra diximus, satis abundeque patebit. Quemadmodum vero speciales illi vicarii non ex arbitrio res gerebant, sed ad nutum jussaque Cæsaris (g): ita etiam vicariorum generalium potestas certis erat comprehensa limitibus, ultra quos illam proferre foret piaculo. Ipsa diplomata inspicienti manifesta erit dictorum veritas, quod postea magis patebit. Nunc ipsa jura ex hisce proferre monumentis licebit.

## §. III.

Contueamur itaque primo Friderici II. privilegium, Thomasio de Sabaudia concessum; Observabimus Prelatis Ecclesiarum, marchionibus, comitibus, Vassoribus, Nobilitatibus, Potestatibus, consiliis communitatibus, & universis per Lombardiam a flumine Lambii superius constitutis, præcipi, ut Thomasio de Sabaudia quatenus ipsi curæ cordique sit recuperatio ac defensio Imperatoris, & imperii jurium & honorum, conservatio boni & pacifici Status & viva guerra rebellibus Augusti inferenda, omni qua par est animi devotione obsequium suum probent. Dein concedit Imperator Sabaudo præter vicarii generalis munus, insuper Officium presidatus

F 2

(f) Supra l. c.

(g) Vid. Diploma Henrici VII. quod sœpius in subsidium vocavimus supra Cap. II.

sidatus (h), merum & mixtum imperium & gladii potestatem, & ut in facinorosos animadvertere valeat, pugnando commissam sibi provinciam in eos specialiter, qui stratos & itinera publica censu temerario violare presumunt, criminales civiles & liberales audiat, & determinet questio-nes, quarum cognitio ad presentis Augusti judicium pertineret, puniendos inquirens, & puniens inquisitor decreta ubique imponat, qua in alienationibus, rerum ecclesiastica-rum secundum iusitiam interponi solent, & ut minoribus & majoribus, quibus universalia iura succurrunt, causa co-gnita, restitutionis in integrum beneficium largiatur, plena Sabaudo traditur potestas, vultque Imperator, ut ad audienciam ipsius appellations deferantur, quos a sententiis or-dinariorum judicum ac eorum omnium, qui jurisdictionem ab imperio nacti sunt, infra regionem ipsam, & ejus ter-minos contigerit interponi, nisi forte vel causa qualitas, vel numerus appellationum hoc admant appellanti, ut ta-men a sententiis suis ad audiencem Cæsaris libere valeat provocari. Quandoquidem vero hæc jura sub mor-tem Thomasii iterum expirarunt, hinc in Caroli IV. privilegio omnibus, sive rerum sacrarum, sive politi-carum antistites, in Sabaudiæ comitatu injungitur, ut impostherum ad Sabaudum provocent, sive actores sint, sive rei, in quibusunque causis singularibus, criminali-bus, sive mixtis, ita quidem, ut imperator, quas ille iuste tulerit sententias, habere ratas velit. Idem Caro-lus ArchiEpiscopo Lugdunensi, Episcopis Matisco-nensi

(h) Per officium presidatus insignem hic jurisdictionem in-telligi, non est dubitandum, conf. Chronic. Laurisha-men. p. 70. ubi similem locutionem deprehendes.

nensi & Gratianopoli præcepit, ut Sabaudio non ipsi solum, sed & ipsorum successores *juramentum fidelitatis, subjectionis, homagii, & alia prestarent.*

## §. IV.

Similiter etiam Sigismundus, Ludovicum Sabaudum, suum & imperii facri vicarium, in omnibus & singulis civitatibus, castris, castellis, oppidis, dominiis, atque terris, quæ & quas possidet ac tenet in partibus Pedemontium, cum omnimoda potestate ordinavit; quemadmodum ipsum Diploma supra (i) exhibuimus. Singula Philiberto Sabaudiae Duci, veluti facri imperii vicario perpetuo, hujusque successoribus, confirmavit Maximil. I; Carolus V. autem Sabaudos pronuntiavit, cum auctoritate facri rom. imperii vicarios generales, *in comitatu Astensi, nec non Marchionatu Cœnæ,* ita quidem, ut ipsis concederet, plenam meram & omnimodam temporalem & gladii potestatem ac jurisdictionem, *nec non merum absolutum ac mixtum imperium.* Has vero immunitates Domui Sabaudiae postmodum Ferdinandus I. sartas esse atque tectas jussit. Neque abs re erit, illud hic adjecisse, quod flagitante principum Electorum confessu, Augustus contra magnum Ducem Florentiae Sabaudo permiserit, tanquam facri imperii Principi & vicario per Italiam, ut in sua aula atque cappella quam vocant, præiret, ipsa verba Guichenon ita exhibit (h): *Quapropter ipsi presentes principes Electores & aliorum consiliarii Cesaream majestatem humiliantur me rogant, ut dicto Duci Sabaudiae (Carolo Emanueli) tantum auctoritate habeatur quam*

F 3

quam

(i) Cap. H. §. 8. p.

(k) L. 6. p. 537.

„quam S. imperii Principi Principi precedentiam vigore præ-  
 ,sat & reservationis ante magnum Duxem Florentie, in suace-  
 ,sarea capella clementissime permittat, sicuti quoque ille,  
 „tam a Germano Principum sanguine natus Princeps, quam  
 „vicarius sacri imperii per Italiam, precedentiam ante  
 „omnes Italiae Principes in Cesareæ majestatis aula &  
 „capella, perinde in Italia atque Germania semper habuit,  
 „et adhuc vigore dictæ reservationis babere, retinere de-  
 „bet. Conclus. in Senatu Electorum XXIII. Aug. A.D. 82.

### §. V.

Hæc qui secum rite animo reputaverit, ægre  
 neutiquam ferre potest, ubi cum *Furstenorio* (1) calcu-  
 lum tandem subducamus insignem esse vicariatus Sa-  
 baudiæ potestatem. Neque tamen ideo in illorum si-  
 mul transimus castra, qui, dum vicariatui Italico ni-  
 mium propriis ausibus tribuunt, a vero recti tramite  
 quam longissime discedunt. Valeant itaque, qui  
 Sabaudiæ vicariatus potestatem, nullis nisi totius Ita-  
 liae limitibus posse includi, sibi persuadent, sæpe etiam  
 pertinaciter defendunt. Quodsi præsidium in eo qua-  
 rant, quando Sabaudia in Diplomatibus supra adductis  
 hinc inde S. imperii dicatur vicarius generalis, sane  
 illi decipiuntur misere. Sub initium enim hujus capi-  
 tis commonstravimus, plures etiam olim apud Italos  
 fuisse, qui hoc nomine ab Augustis Germanorum fu-  
 erint condecorati, quis autem dixerit unquam vel coe-  
 cutiens, hos universali quadam per omnem Italiam  
 potestate fuisse gavisos: Certe Sigismundus dominos  
 de Scala

(1) De Jure suprematus c. 25. p. 248.

de Scala non solum constituit Veronensem & Vincen-  
tinorum vicarios generales, sed insigni præterea au-  
toritate communivit, cuius rei fidem facit peculiare  
diploma, quod in Actis atque Tabulario vicariatus  
Saxonici adseratur. Neque tamen ipse Sabaudus  
plura dominis de Scala concessit, quam quæ signate  
ibi leguntur. Et qui ea perlegerit curate, quæ in  
capite primo atque secundo hujus dissertationis fide  
annalium tradidimus, facile addicet, talium vicariorum  
potestatem non ulterius extendi posse, quam provin-  
ciæ, quibus jussu imperatoris præficiebantur, per-  
mittunt. Hæc enim ratio atque forma administratæ  
apud Italos Reipublicæ erat, ut quævis ferme civitas  
suum haberet vicarium, quædam etiam plures nomi-  
ne imperatoris ipsi jus dicentes. Ne vero hi impune  
justitiam possent temerare, sed accuratam potius quam  
redderent rationem formidare opus haberent, Augu-  
sti alio modo Italos consulere non poterant, quam  
ut generales in singulis provinciis constituerent vica-  
rios, qui velut e speculo observarent, quidnam par-  
ticulares agerent, & si jura contra fidem datam vio-  
larent, oppresis auxilia prompta suppeditarent.

§. VL

Hæc etiam si luce meridiana sint clariora, face-  
re tamen non possum, quin ut rem magis cœcutiens  
tibus in apricum producam, Mantuani exemplum  
in subsidium adferam. Sub finem jam capitinis II. le-  
ctori in memoriam revocavimus, Mantuae Ducem,  
indulgentia Ferdinandi III. titulum vicarii generalis  
imperasse. Ibidem simul observatum est, Sabaudum

omnem

omne in contra lapidem movisse, ne novum honoris, qui in Mantuanum conferebatur, incrementum ipsi obesset. At scimus, quam s<sup>e</sup>pius vocavimus Man- uæt Ducem, non alibi quam in suis ditionibus usum hujus tituli adhibere voluisse, quanquam generalis per universam Italiam vicarius adpellaretur, investitura etiam hujus characteris a Cæsare impetrata (m). Novimus etiam Leopoldum instaurata per Italiam auctoritate jure suo regio, quod in Italia obtinebat, usum fuisse; Lites siquidem Principum Italæ diremit, deque omnibus ad regalia pertinentibus more majorum cognovit, & judicavit, constituto per Italiam fisci imperialis advocate & demandatis comiti Mediobarbo partibus, quas pro fide sua sustineret, & summo Italæ judici denunciaret (n). Nec facile quenquam fugere potest, quod publica scripta indicarunt, a Carolo VI. Augusto partes vicarii generalis Duci de Vzeda fuisse demandatas, Sabaudo ad hæc omnia tacente.

### §. VII.

Ne vero sibi quis temere persuadeat, aliam esse Italæ rationem sub vicariis imperii generalibus, Palatino atque Saxone, ad annum solummodo superiorem, ut cætera taceam, poterit retrogredi, ubi Comes Daunius, nomine horum Serenissimorum Interregum, ortas inter Duces Mutinensem atque Parmensem lites, compонere aggressus est. Et ut juribus suis eo rectius

pro-

(m) Vid. Litteras ipsius principibus electoribus exhibitas anno 1658. in Théâtro Europæo.

(n) Schurtzfleisch Diff. 2. p. 28. de Jure August. in Ital.

prospicerent, Serenissimi jamjam diei vicarii Comiti de Capelbarco has vices demandarunt, ut in Italiae provinciis, fide & sacramenti religione imperio devinetis, jura imperii sarta atque tecta servaret. Videant nunc Limnaeus, Strauchius, Beckerus, Hennigius, Rhetius, Itterus, Schwererus, Vitriarius, Coccius, Lynckerus, Titius aliquie, quo jure vicariis Germaniae omnes Italiae provincias detrahant. Equidem novimus, eo quosdam prolabi, ut Sabaudo independentiam plane tribuant, sed rationes, quibus innittuntur, satis validae non videntur, imo non paucæ fculneæ adparent. Verum enim vero, quemadmodum jus vicariatus perpetui, quod Sabaudus aliquie obtinuerunt, non impedit, quo minus imperatori & imperio subsint, ita nec eosdem universalium Germaniae provisorum obsequio subtrahere recte licebit. Frustra excipiunt aliqui, quod Saxonico Itali jure atque Svevico non utantur; Ex iis enim quæ infra dicemus, nemini obscurum amplius esse poterit, ubi neutrum jus viget, potestate utrique esse communem. Sane cum origines utriusque apud Germanos vicariatus primario frustra repetas a duplii jure, Svevico nimirum, atque Saxonico, Saxonis potestate se quandoque in Francos atque Svevos extendente, ut supra observavimus; ita Carolus IV. ratione horum jurium limites vicariatus Germanici circumscribere voluit, ut certioris in patria ordinis esset ratio, nec dubia finium amplitudo turbis inter utrumque Proregem daret occasionem. Quod vero ad Italos spectat, haec non erant metuenda facile, cum lites ibi exortæ, communi

G

judic.

CON

judicio, absque æmula partium divisione, possint componi. Neque vero etiam illud plane omittendum, quod in A. B. totius imperii dicantur provisores, neque adeo, si rigorem vocis sequamur, quæpiam illius pars temere poscit excipi. Addendum etiam, quod hoc modo Principes Electores, quorum numerum ipsi hodie Reges ornant, longe deterioris forent conditionis, quam Sabaudus, extra controversiam illis neque amplitudine regionum, neque dignitate comparandus. Ille enim hoc modo immunis foret a jurisdictione vicariorum, quos tamen ipsi ea qua pars est veneratione excipiunt. Quis autem vel per somnium poscit adsequi, Sigismundum, ad cuius Diploma ipse Sabaudus potissimum provocat, talia huic concessisse, quæ ordini Principum Electorum, cuius ipse membrum erat, vergerent in tam insigne præjudicium? Adsunt præterea testimonia, unde conspicitur, Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem an. 1612. literas ad Jo-hannem Bipontinum Electoratus Palatini administratorem & vicarium scripsisse, quibus se expectare profitetur, quid circa vicariatum Italæ perpetuum ob-servare debeat (o).

(o) Conf. omnino illustris Autor Fecialis Europæ P. 1.  
pag. 532.

#### CAP. IV.

De,

**Discrimine quod inter vicariatum  
Germaniæ Pro-Regum atque Sabaudi  
intercedit.**

CON-

## CONSPECTUS CAP. IV.

- §. I. Pandit transitum ad seqq. paragraphos.
- §. II. Amplitudines pariter ac limites jurium, qua Inter-regibus German. competunt, explicat.
- §. III. Saxonem potestate Palatino omnino exequat, professa dissensione a Dn. Lynckero, aliisque, juribus InterRegum justo angustiores ponentibus limites.
- §. IV. Reservata Imperat. in primis potestat. exercendi judicia, Vicariis competere indubio argumentis probatur.
- §. V. Iisdem jura circa beneficia ecclesiastica, in specie primariarum precum, obnientibus licet multis Viris doctis vindicantur. it.
- §. VI. Jus circa redditus imperii colligendos; quos medios quidem non tamen omnino sfernendos esse, ex nuperrimo bujus juris exercitio declaratur. Jura itidem circa investituram feudorum, juramenta fidelitatis recipienda, quatenus Pro-Regibus competant, disquiritur.
- §. VII. Refutantur Juris publici DD, bosque inter cumpromis Limnaus, Lynckerus aliquie, potestatem Pro-Regum & quo arctioribus limitibus circumscribentes.
- §. VIII. Tandem infertur, Pro-Regis eandem ac ipsius Regis esse potestatem, nisi quatenus vellege vel pacto restricta fuerit.
- §. IX. X. XI. & XII. Terra Saxoni Pro-Regi subjacentes commonstrantur, & recensentur.
- §. XIII. Concluditur, vicarios Imperatores Sabaudoculmine dignitatis ac potestatis longissime antestare, quippe qui ipsa maiestate re quidem vera polleant, licet a nomine abstineant.
- §. XIV. Finis toti dissertationi imponitur.

## §. I.

**E**um qui perlustrare discrimen velit, quod inter vicariatum Germaniae Pro-Regum atque Sabaudi intercedit, ad metam sibi propositam felicius non posse pertingere, quam ubi de iuribus utriusque vicariatus certior sit factus, omnes forsitan largientur. Animus igitur est, quando praecedenti capite, Sabaudi potestatem percensemebamus, iura nunc etiam Germaniae Pro-Regum, Saxonis imprimis, quam paucissimis adumbrare; ita tamen, ut brevitatem devotissimo mentis nostrae cultu rependamus, lectori cætera relinquentes integrum, ut ipse tandem, ubi posteriora dissertationis nostræ capita conferre inter se velit, dijudicare possit, quantum æra distent lupinis.

## §. II.

Equidem si ea solummodo persequi jura velimus, quæ a vellicationibus quorundam fortunæ Saxonice æmolorum, forent immunia, nulla, certe pauca, lectoris possemus oculis exponere; Verum enim vero, tanta nos contentione veritatis patrocinio latabimus, quanta ipsi adlaborare videntur, ut quam proxime nisi ab obrectationibus saltim ab erroribus absint. Varia autem, quod vetus Germanorum poeta habet, sunt jura eorum, ad quos

*more suo semper viduata recurrit,*

*Orba suo quoties vacat, inclyta principe sedes.*

In genere itaque monendum est, tantam esse nostrorum interregum potestatem, quantam ipsius Imperatoris, utpote in cuius ipsi vices veluti vicarii succedunt. Quodsi vero illam quandoque, praesertim in nostra

nostra patria, restrictam conspiciamus, id non tam ex natura interregni, quam indeole Reipublicæ erit repetendum. Quod uti ratio ipsa confirmat, ita etiam juris civilis interpretes adstruunt, quos ut in subsidium nunc vocemus, opus non est, otia nobis faciente doctissimo Dn. Gribnero (a). Parum itaque aut ut rectius loquar, nihil abest, quin dicamus, potestatem vicariorum continkleti omnia jura majestatica & regalia, quæ Imperator exercet, nisi signate quæpiam illorum fuerint excepta. Palmaria vero sunt, quæ aurea bulla sequentibus includit verbis: *Quoties sacrum vacare imperium contigerit, illustris comes palatinus Rheni esse debet provisor imperii cum potestate iudicia exercendi, ad beneficia ecclesiastica presentandi, recolligendi redditus & preventus, investiendi de feudis, juramenta fidelitatis vi & nomine S. imperii recipiendi.*

### §. III.

Ne vero quis cavillari possit, ad solum Rheni palatinum haecce pertinere, addit: *Eodem jure provisionis illustrem Ducem Saxonia sub omnibus modis & conditionibus frui debere.* En itaque (1) potestatem exercendi iudicia. Quod fit hodiendum sive per cameram imperialem, Wetzlariae sedentem, sive per peculiare judicium, quod vocant vicariatus (*Das Vicariats Hoff-Ge richts*) Evidem sunt, qui curam imperialis cameræ denegant vicariis, sed hoc cum rerum usu pugnat, quando in hoc confessu interregni tempore, nomine utriusque vicarii sententiae pronunciantur, & Sigillis vicariorum muniuntur. Qua ratione illorum simul

G 3

refel-

a) In diff. de juribus Vicar. imp. p. 7.

refellitur error, qui adserere conantur, solum palatinum a. 1519, cameræ imperii præfuisse, ut ab illa Saxonem excludant. Illud autem Vicariatus judicium insigni pollet autoritate, dirigit nempe processus, decreta edit, sententias pronunciat, mandata, edicta, rescripta decernit, & omnia, quæ a judicio Cæsaris peraguntur, in terris vicario subjectis expedire solet (b), nec a sententiis vicariorum appellari, aut contra eas aliud remedium interponi potest, nisi beneficium supplicationis, & quod adversus eas, quæ a judicio aulico latæ sunt locum habet. Ipsæ etiam lites in judicio aulico pendentes inde avocari possunt, dissentiente licet Dn. Lynckero (c) contra experientiam. Hac enim magistra novimus, Bayarum veluti vicarium acta in causa Oettingen, contra Ottingen Wallerstein reperiisse (d). Pessimæ sane conditionis ii omnes forent, de quorum causis sub obitum imperatoris nondum fuisse transactum, præsertim longo quandoque interregni tempore. Frustra idem quoque causas feudales & criminales cognitioni vicariorum subducere adgreditur; Male sane supponit, quod hæ ad reservata imperatoris pertineant, ideo ab iis determinandis, Interreges esse exclusos. Sane A. B. ad quam merito toties esse recurrentum arbitror, quoties in disceprationem ipsorum jura vocantur, vicariis exercendi judicia tribuit, neque feudales, neque criminales causas excipiendo. Et quanquam investituram feudorum majorum A. B.

ipsis

(b) Mid. Vffenbach de judicio aulico c. 25. p. 281.

(c) Anal. ad Schwed. L. i. c. 33. §. 7. p. 63.

(d) Gaftel. C. 10. n. 2. Thulemar. de octovirat. c. 22. n. 10.

ipsis deneget, neutquam tamen ipsos facultate cognoscendi de illis privat.

#### §. IV.

Ordinibus equidem reservata quæ vulgo vocant imperatoris negantur, qui vero eadem non competere vicariis adserat, ille sane petit id, quod est in principio (e), lites etiam cottidianæ indicit experientiæ. Quis enim jura primiarum precum & exercendi judicia non retulerit inter præcipua imperatoris reservata, quorum tamen utrumque vicariis extra controversiam competit. Sed monstramus dissentientibus melioris causæ patronos, *Vffenbachios*, *Tbulemarios*, *Itteros*, *Buxtorffios*, *Gribneros* aliasque. Si quis autem sit, qui cum *Pfeffingerio* (f) Pro-Regibus Germaniæ vectigalium cognitionem vocare in dubium ausit, næ ille nimium iniquus harum rerum est arbiter. Quæso enim te, num colligere rite possis, eo quod subortæ circa vectigalia Electorum lites in capitulatione Leopoldina a camera imperii ad judicium avocantur aulicum, vicariis nihil manere integrum. Annon illo cessante, omnemque vim amittente iudicio aulico, vicariatus judicium constituunt, quod in ipsius locum succedit?

#### §. V.

Potestatem haque exercendi judicia, A. B. viam nobis monstrante, Interregibus Germaniæ, quantum brevitatis studium requirere videbatur, vindicavimus. Alterum est, ut lectori comprobemus, jus etiam ipsis ad beneficia ecclesiastica præsentandi A. B. tribuere.

Non

(e) *Lynck. ad Schwed.* pag. 37.

(f) *Vitr. illustrat. L. 3. t. 7. §. 10.*

Non temere forsan cum Dn. ab Andler (g) hic intelligimus, jus non modo precum primiarum, sed & præsentandi, quod imperatori vel tanquam patrono vel quocunque alio titulo competit. Evidem alia omnia hic docere satagunt, viri celeberrimi *Schweerus*, *Schilterus* aliique, sed Diplomata Imperatorum, in quibus preces ad capitula Germaniae comprehenduntur, Instrumentum pacis Osnabrug. (h) privilegia palatina, omniumque fere temporum annales, nos in veriori sententia confirmant. Potentissimum Borussiæ Regem juris hujus exercitium in Magdeburgicis aliisque terris suis imperatori denegasse, ex *Cortreji* aliorumque annotationibus novimus, licet Imperatores illud integrum sibi servare saepius fuerint anni. Potentissimus certe Poloniarum Rex nuper ad ecclesias cathedrales Lubecensium, Hamburgensium, Martisburgensium, Numburgensium, Quedlinburgensium, Gandersheimensium, Gerendensium &c. preces exarari jusfit. Integrum vero nobis non est, plura hic subjecere, quare lectorem ad Gribneri dissertationem de precibus primariis vicariorum imperii, remittimus. Conferri tamen infensa partis sectatores *Cortrejus* (i) atque Auctor meditatum ad instrum. pacis Cæsareæ Sveicum merentur (k) itemque Dn. *Coccejus* (l).

## §. VI. Ea-

(g) P. II. pag. 1585. voce *Psalms*.

(h) a. s. §. 26.

(i) Observat. ad Concord. nat. Germ. p. 198.

(k) p. 407. &amp; 49.

(l) in Jurispr. publ. c. 16. §. 13.

## §. VI.

Eadem aurea Bulla jus Pro-Regibus tribuit colligendi redditus atque proventus imperii, qui etiam si hodie veterum amplitudinem non exæquant, quin potius ad nihilum fere sint redacti (m), non tamen plane contemnendos arbitror, præsertim ubi feuda imperii deficiente successore vacent. Quemadmodum nostris temporibus cum electoratu Bavariae accidisse novimus, cujus proventus Serenissimus Elector Palatinus non tantum collegit, sed & in imperii usus convertit (n). Neque dubitandum, quin ad Serenissimos Germaniae Pro-Reges ærarium Mantuanum atque Mirandulanum suas durante vicariatu rationes contulerit, quæ exiguae atque exiles vix ac ne vix quidem esse poterunt. Deniq; etiam huc pertinet jus, quod verbis A.B. complectemur, investiendi de feudis & juramenta fidelitatis vi & nomine S. imperii recipiendi. *Ipsæ vero A.B. feuda excipit Principum, illaque que Fahnlehn vulgariter adpellantur, quorum investitura & collatio imperatori specialiter reservatur.* Sunt qui sub Fahnlehn feuda etiam Comitum intelligunt, *Lynckerus* (o), *Hermes* aliisque, ut adeo illorum investituram denegent vicariis, eam potissimum ob rationem, quod Comites vexillo quondam fuerint investiti, teste Speculo utro-

H

que

(m) vid. Sieur Heiss dans l' histoire de l' empire part. se-  
cond. livr. 4. chap. 3. p. 34.

(n) Conf. scriptum non ita pridem editum, *de jure Electori & Comiti Palatino Rheni circa domanium imperii compente in districtu vicariali.*

(o) ad Schweder. p. spec. S. I. c. 9. §. I.

que Saxonico (p) atque Svevico (q). At vero si utrumque consuamus, concludendi ita ratio nondum manifesta est, opponi etiam capiti 136. potest caput 144. l. 2. juris Alemannici, in quo vexilliferorum feudorum investitura Palatino adjudicatur. Nec plaine nihil est, quod diplomata Palatinorum (r) non Comitum sed Ducum solummodo atque Marchionum feuda excipiunt. Sunt etiam, qui feuda ecclesiastica ex foro vicariorum proscribunt, sed rationes quas addunt, tanti non sunt, ut iis multum immoremur (s).

### §. VII.

Sunt qui sibi cum Limnæo persuadeant (t), his solis, quæ recensebamus, juribus omnem Pro-Regum, nostrorum facultatem includi. Quam recte vero mox dispiciemus. Si vel solam vocis potestatem, quam vicarius innuit, probe consideremus, manifestum erit, Pro-regem regis sui vicibus, in omnibus tuto fungi, quæ non exceptit mandatum speciale. Cum itaque A. B. solam feudorum vexilliferorum investituram atque alienandi bona imperii facultatem excludat, quid est, quare nos temerario conatu vicariorum potestatem arctioribus terminis comprehendere tentemus? Quodsi quis adhuc suspenso hac in re animo sit, illum privilegia palatinorum, confirmationes Cæsarum,

qui-

(p) l. 3. c. 53. n. 3.

(q) l. 2. c. 136.

(r) apud Freher. l. 2. c. 16.

(s) conf. Schilteri Comment. ad jus feud. Alemann. ad C. 42. pag. 239.

(t) Jur. publ. l. 3. c. 12. n. 80. seq. & ad Cap. Carol. V. art. 3. n. 16. seqq. pag. 143.

quibus res ipsorum gestas ratihabuere, capitulationes imperatorum, ac usus denique & observantia imperii confirmabunt. *Enim vero hæc omnia fugitivis pleniusque oculis considerant, ut etiam ipse Lynckernus* jus condendi leges aliaque jura vicariis competentia, ipsis abjudicare nullus dubitet. At si ex placitis hujus celeberrimi viri solummodo Pro-Regum potestas foret aestimanda, næ illa quam maxime tenuis esset futura. Itaque quod nobis incumbit, rationem ipsius adcurate contueamur. Persuader sc. sibi, defuncto Cæsare omnem in Germania majestatem expirasse, qua absente lex ferri nulla potest. At exulat hæc doctrina, & ex scholis recte proscripa, majestatem quasi interea residere in spatiis imaginariis, nec nisi cum novo Cæsare redire. Exulabit itaque simul adseratum, vicariis jus ferendi leges denegans; Nec forsitan arma vibrat feliciora, quando Pro-Regum jus indicendi comitia vocat in dubium, nulla fane ratione idonea suffultus. Quin litteræ Electoris Trevirensis a. 1552. ad Fridericum Palatinum scriptæ contrarium quam clarissime evincunt. (u)

### §. VIII.

Cum præterea Vicarii ideo constituti sint, ut provideant imperio, nemo arbitror, ipsis temere jus belli ac pacis, quantum quidem in tam arduo est negotio imperatori integrum, denegabit. Quod si quis intestinis motibus patriam turbet, non est quod dubitemus, vicarios æque atque imperatorem fulmen banni

H. 2 in

(u) Conf. Auctor deductionis der Pfälzischen Vicariats-Gerechtigk. Addatur Autor des deutschen Reichs-Staats p. 7. c. 1. pag. 338.

in talem vibrare posse, quod ordinum Episcopatus Monasteriensis exemplo oportune commonemur.(x) Eadem nobis pectori ratio sedet; quare causas etiam gratiosas vicariis imperatoribus vindicare animum inducamus, quamvis non desint, qui in numero dissentientium se profiteantur. Huc referimus jus nobilitandi, Barones creandi, atque Comites itemque Principes, quatenus nempe in arbitrio positum imperatoris est. Multo minus quispiam absque veritatis intertrimenti denegare ipsis poterit, facultatem constituendi comites, quos vocant, palatinos, natalium defectum abolendi, restituendi famam, dandi ætatis veniam, & moratoria concedendi, quo usque hæc ordinibus imperii non sunt fraudi. Jus etiam confirmandi Academias, dissentiente licet Lynckero, (y) sed temere, cum perillustri Autore Fecialis Europæi(z) merito illis tribuimus. Male etiam ob causas saepius allegatas quidam iis disceptant jura vel plane non vel semel tantum exercita ab imperatore. Exempla enim nihil hic probant, recteque subducitur: *nihil licuisse illis, qui primum vicariatu defuncti sunt, si nihil quicquam ipsis integrum fuisset, cuius nullum prejudicium extaret.* Quia olim exemplo caruerunt, nunc inter exempla sunt, & quorum nondum exemplum extat, illis imposterum bac exceptio opponi non poterit, si juribus suis vicarii strenue utuntur. Ex quibus omnibus luce fere meridiana clarius existi-

ma-

(x) Vid. Londorp. Tom. VIII. c. 95. pag. 164.

(y) Ad Schwed. p. Spec. S. I. c. 6. §. 5.

(z) P. 1. p. 888. Ita etiam Rintelensem Academiam priuilegia sua primum a Palatino imperii vicario accepisse alii docuerunt. Add. Iterus de Grad. Acad. C. 6. n. 17.

mamus, Pro-Regum Germaniae potestatem non esse minorem imperatoris, nisi quatenus ex legibus imperii vel pacto restrictam eam ac limitatam esse, apparat, tantumque ab illorum majestate abesse Sabaudum vicarium quam qui maxime.

## §. IX.

Quod ut clarius unicuique patescat, forsitan non abs re erit, ubi vel solius Saxonis terras verbis brevissimis commemoremus, quæ ipsius vicariatu sunt subjectæ. Quemadmodum vero Carolus Palatinum in partibus Rheni, Sveviæ, & in jure Franconico provisorem esse imperii decrevit: ita A. B. provisionis jus Saxonii in illis terris confirmavit, ubi Saxonica jura confirmantur. Neutiquam nos fugit, crucem hæc posteriora verba, in quibus Saxoniorum mentio fit jurium, interpretibus figere. Quidam eo solam Saxoniam provinciam trahunt, alii ad leges Saxonum resipi ci potissimum autumant, quod postremum vocum potestas, temporumque ratio efflagitare videtur (a). Quanquam per jus Saxonum non solum compilaciones illas, quas utrumque speculum complectitur, aut Weichbildum Magdeburgicum intelligamus, sed etiam ad antiquiora tempora lectorem avocemus, eamque auctoritatem, quam tunc leges Saxonum habuere. Quo collimant verba in diplomatis Proregum Saxoniorum obvia: Des H. Römischen Reichs in denen Landen des Sächsischen Rechts und an enden in solch Vicariat gehörende dieser Zeit Vicarius. Hæc ubi justo supputaverimus calculo, recte hic quis retulerit prisci

H 3

&amp; am-

(a) Vid. Schilter. de vicar. §. 7.

& amplissimi Ducatus Saxonie fines, quibus præter Westphaliæ etiam terras complectimur, quæ Slavis eruptæ Ducatu accesserunt, deinceps regiones Germanie qualescumque, sub ætatem Caroli IV. legibus Saxonum uti solitis. Quodsi quis indicem harum provinciarum desideret, plerique illum ex Prizenio (b) & Goldasto (c) repetunt. Nos alia via incedentes (1) huc referimus electoratum Saxonie, terrasque illas, quas non ipse solum elector, sed ex utraque Ernestina, nempe atque Albertina linea oriundi principes tenent; Qua ratione Coburgicas & Hennebergicas ditiones simul intelligentes, non diffitente ipso Coccejo (d). (2) Extra omnem præterea controversie aleam possum est, terras Anhaltinas atque Lauenburgicas huc pertinere. Quodsi vero quispiam dubitet, adeat quæsto Cocejum (e), Sagittarium, Beumannum (f) atque Helmoldum (g). Eandum esse rationem provinciarum Brunsricensium & Lunenburgensium in propatulo apud omnes est (h). Neque est, quod quis Ducatum Magdeburgicum Saxoni austri subtrahere, cum & olim Saxonie pars fuerit, atque legibus Saxonici paruerit. An vero quispiam Halberstadiensem principem, præfulemque Hildesheimensem, itemque comites atque civitates ordinisque utrius-

(b) In comp. jur. civ. & Saxon. Præfat.

(c) In der Vorrede der Reichs-Satzungen.

(d) Prudent. Jur. publ. c. 16. n. II.

(e) Prud. Jur. publ. c. 3. §. 3. p. 59.

(f) In Anhaltinis.

(g) Chron. Slavorum l. 30. c. 2. n. 7.

(h) Conf. Sagittarius in origin. Brunsricens.

utriusque Saxonie velit serio eximere, nobis quidem est ignotum. Holstiam omnes Proregi Saxoni vindicant (i), sic etiam jus vicariatus Saxonici in terris Ducatus Bremensis atque Episcopatus Lubecensis indu-  
bium est.

## §. X.

Ad *circulum* nunc *Gvestphalicum* fas erit pedem proferre, ubi pleraque provinciae Saxoni Interregi parent. Ipse certe Colonensis archipræful, si terras *Gvestphalorum*, quas possidet ipse, spectes, vicariatum agnoscit Saxonicum, quanquam olim Imperatoris vicarium per *Gvestphaliam* fuisse dictum, nos Dattius docet (k). Huc etiam pertinere episcopos Paderbor-  
nensem, Osnabrugensem, Monasteriensem atque Her-  
vordensem abbatissam alii evincunt. Frustra sunt, qui Ducatus Juliaci Cliviæ & Montium excipiunt, cum Ducibus illi Saxonici jam pridem sint acquisiti; Me-  
rito etiam illorum sententiaæ subscribimus, qui prin-  
cipatum Mindæ, comitatusque Oldenburgicum, Lip-  
pensem atque quod alii volunt, Schaumburgicum vi-  
cario Saxoni vindicant, quanquam ut nihil dissimule-  
mus, Palatinus apud Schaumburgenses suam pollere voluit provisionem, quando ao. 1619. jus academiam erigendi concederat (l). Neque temere quisquam exemerit Frisiæ atque Landgraviatum Thuringiæ.  
Hassiam

(i) Vid. Coccej. Prud. J. P. c. 3. p. 58. & omnino *illust. Autor.*  
*Facial. Europ.* P. 1. p. 517. seqq.

(k) De pace religios. I. 4. c. 7. n. 1. p. 774.

(l) *Horn.* in pec. program. de jur. vicar. imp. confirmandi  
Academias.

Hassiam autem Saxoni vindicat jus Alemannicum, disertis verbis (m), ut iniqui dici possent, qui palatino Rheni illam tribuant, nisi speciali pacto provinciæ & vicariatui Rhenensi annumerata esset (n).

### §. XI.

Terras etiam Venetorum imperio vindicatas, subesse vicariatui Saxonico, quicquid etiam alii regerant, facile possumus adserere (o). Quo pertinet ipsa Marchia, quam ut quidam Saxonis provisioni denegent, omni qua possunt contentione maxima allaborant. At irrito conatu. Novimus equidem sedere ipsis sententiam, Marchiam olim justum fuisse Ducatum, cum itaque quilibet Dux primi ordinis in sua fuerit provincia olim vicarius, colligunt inde, quod cum solus Marchio Brandenburgicus, cuius personam hodie sapientissimum atque potentissimum Borussiae Regem sustinere omnibus constat, ex Ducibus primi ordinis cum Palatino atque Saxone supersit, non his solum sed etiam Brandenburgico insignem vicariorum potestatem neutquam posse denegari. Verum enim vero, undenam quæso probabunt, Marchiam olim justi Ducatus habuisse rationem? Forsitan quod Gero Dux audiat? Ita jam conclamatum est. Abunde credimus evicit *Gribnerus* (p), quem saepius hactenus nomina-

(m) *Conf. Coccej. c. 4. §. 9.*

(n) Vid. tm. Dn. *Gribner* in *Diss. de terris Jur. Saxon.* p. 35.

(o) Vid. *Coccej. c. 4. n. 3.* add. *Adam. Bremens. Helmoldus, Krantzus* aliquie.

(p) In *programm. de Gerone Duce.*

minavimus, Geronem neutquam Marchiæ Brandenburgicæ causa fuisse Ducem nominatum. Nec est quod regerant, jure hodie Saxonico Marchiam nequaquam uti, at sufficit, quod ipsa olim fuerit usus. Sin forte ex eo capite patrocinium suæ opinioni querant, quod Marchiones quandoque Brandenburgicos vicarii nomine insignitos deprehendamus, oppido sane falluntur, cum vicariatum illum fuisse extraordinarium apud omnes, nisi quorum mentes præjudicatarum opinionum moles opprimit, sit in confessio, neque adeo vicariis ordinariis, quemadmodum supra docuimus (q) vergere in præjudicium poscit. Accedit quod Marchia disertis verbis inter Saxoniam vexilla referatur (r), ut adeo non sine causa ipsi Brandenburgicæ majestatis defensores *Cocceius* (s) atque *Strykius* (t) Marchiam terris juris Saxonici accenseant. Eodem jure Lusatiam, Misniam, Mecklenburgicas aliasque terras hoc referre possem, si singulas accuratio-  
ri examini subjecere animus esset.

### §. XII.

Sunt etiam, qui Bohemiam Saxonii subtrahere student; Rationes itaque, quibus sufficiuntur, jam videbimus. Ajunt, Bohemiam colere regem proprium: quid tandem! ecce provinciæ Germanicæ, quod suos Electores, Duces, Marchiones atque Dominos habent proprios, vicariatui sunt exemptæ? Urges

I

privi-

(q) Cap. I. &amp; II.

(r) Land-R. L. 3. a. 62.

(s) d.l. l. 6. c. 16.

(t) in controv. A. B. th. 66.

privilegia domus Austriacæ: Sed quid illa ad Bohemiam? Instas amplius, Bohemiam nulli adscriptam fuisse circulo, quid inde? supra commonstravimus, jus vicariatus Saxoni atque Palatino competens, longe esse antiquis omni illa circulorum divisione; Nullo igitur robore nituntur, quotquot Bohemiam Saxoni tentant subducere; Saxonica certe jura adhibuit, quod ex Weicbitto (u), Goldasto (x) atque Hertzio (y) discimus, & sub Caroli IV. æstatem magna illorum apud Bohemos fuit autoritas. Quid quod Boæmiae ordines litteris a. 1619. ad Johannem Georgium I. serenissimum Saxoniæ Electorem exaratis, ipsius provisionem agnovisse legamus. (z) Eadem ratione Silesiam quoque in hanc classem mittere non veremur. Quod si vero quis excipiat, Silesiam imperii finibus non contineri, adeat quælo *Conringium*, *Schurzfleischium* aliosque, (a) ut adeo sufficiat notasse, legum Saxonicarum ea qua A. B. condita est tempestate, apud Silesios magnam fuisse auctoritatem.

### §. XIII.

Agmen claudere tandem jubemus Moraviam,  
quam ut Saxoni vindicemus, eædem causæ, quas sæpius

(u) a. 10.

(x) de Regn. Bohem. l. 4. c. 15. n. 6. l. 4. c. 13.

(y) de renovato R. G. J. & regni Bohemiæ nexus Sect. 2.

§. II. pag. 26. seq.

(z) Vid. Londorp. T. I. p. 575. c. 5. in f. add. *Parillus. Alter Focial. Europ.* p. 164.

(a) Add. Autor der gründlichen deduction der Evangelischen Schlesier Religions-Freihheit.

pius forte non absque tædio lectoris toties commemoravimus, omnino efflagitant. De aliis in hunc ordinem provinciis relatis lubentes quidquam dicere supersedemus, quandoquidem ex dignitate non possumus, ubi brevitatis esse studiosos jubemur. Sed quicquid hujus sit, nemo forsitan erit, qui non amplissimum inter Germaniæ vicarios imperatores, atque Sabaudum discrimen, facile percipiat. Solius vicariatum Saxonis pluribus hodie Regibus providere novimus. Utrumque vero ea omnia possidere jura, quæ sunt Cæsariorum, paucis tantummodo exceptis, supra fusi evicimus. Ut adeo Majestatem ipsis non incongrue adferant viri celeberrimi *Schutzius* (b) atque *Titius* (c) contra Vitriarium aliosque. Quanquam ultra largiamur Multzio, vicarios titulo majestatis abstinere, ac præ Regibus etiam, præ quibus Imperator eminet, præcedentiam sibi non vindicare. Quare etiam *Beckmanno* adsentiri non possumus, qui crimen læse majestatis in vicarios imperatores committi posse negat (d), cum tamen fatente Carolo IV. etiam adversus Electores quispiam in hujus sceleris dirissimi incurrere queat immanitatem. Quodsi ulterius perpendicularamus, neminem vicariis ex Electorum vel ex alio ordine præscribere posse, quid agant, quidve omittant, parum abest, quin arguamus, eatenus ipsorum potestatem esse independentem, quatenus eandem Imperator sibi vindicare potest (e). Illud etiam

(b) P. 2. tit. 4. pos. I. pag. 428.

(c) In specim. Jur. publ. L. 5. c. 9. §. 6. & in Vindic. p. 215.

(d) Instit. Jur. publ. I. 2. c. 10. §. 25.

(e) Conf. Titius I. c. p. 586, seq.

non abs re erit monuisse ex jure Alemannico, (f) vicarios imperatores potestatem suam exercere posse sive ipsis ab Imperatore fuerit concessa, sive minus. Evidet nos non fugit, codicem Alemannicum quæpiam addidisse, quæ Saxoni esse fraudi possint, nisi recte capiantur, sed dubiis ante nos satis fecerunt viri celeberrimi, inter quos unum juvat commemorare Schilterum, egregium hujus juris commentatorem(g). Hinc non est ut amplius iis immoremur.


## §. XIV.


Qui itaque in utroque vicariatu natales, amplitudinem terrarum, independentiam, ut cætera de industria prætereamus, probe velit contemplari, me non monente, facile perspiciet, ineptos esse, quotquot Sabaudum vicarium nostris conferre audeant. Ita tandem manum de tabula removemus. Quemadmodum hanc operam qualecumque suscepi, ut veritati litarem, devotissimumque cultum potentissimæ Saxonum domui probarem; ita ubi utrumque me præstissime lectores æqui perviderint, amplissimum laboris mei fructum me esse consecutum arbitrabor. Animus equidem adpuleram, ad plura dicenda, ubi fertilis seges, campusque se aperit latissimus. Quis enim malevolorum hominum livorem, quis contumeliam quis convitia possit ferre, quibus Serenissimam Domum Saxoniam, præsertim eam, quam a Divo Alberto, unde proficiam ducit, Albertinam vulgo linneam cognominant, toties proscindunt, quoties nefario

(f) c. 42. §. 6.

(g) in Comment. ad Jus feud. Alem. pag. 261.

rio ausu parasitorum more de uno vel altero Principe  
bene, de reliquis omnibus pessime mereri gestiunt?  
Sed rideamus ejusmodi homines; blanditiarum tan-  
dem præmium laturos, optimi cujusque contemtum.  
Quare non est, ut multum operæ in iis refellendis col-  
locem; At alia quamplurima addere, plus trahentia  
ponderis volebam, nisi rationes meæ aliud nunc sva-  
derent. Hinc facile sperare licet, Lectorem benevo-  
lum primas hasce lineas, majori operi prævias, æqui  
bonique consulturum, atque errata, si quæ occurront,  
non torpori nostro, sed præproperæ festinationi esse  
tributurum. Deum cætera Opt. Max. supplices vene-  
ramur, ut Saxonia, quæ patriæ Imperatores dedit, at-  
que gentibus reges, fata humanarum rerum sapientia,  
justitia atque fortitudine mirifice dispensaturos, iisdem  
porro munibus, provida ita Numinis cura diri-  
gente, Germaniam, universumque quaqua  
patet terrarum orbem, beare  
possit.












QKTK.1750

W078

X 3/3 6369

B.I.G.



A. 7.18.

II R  
1750

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> JURIS PUBLICI,  
De  
**VICARIATU  
ITALICO,**

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. WILHELMO HENRICO,**  
DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLI.  
VIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ ET  
WESTPHALIÆ  
&c. &c.

ILLUSTRIS JC<sup>T</sup>ORUM ORDINIS  
IN ACADEMIA JENENSI

benevolo indultu,

publice proponit

**GERLACHUS ADOLPHUS**  
de MUNCHHAUSEN,  
Eques Thuring.

JENÆ, die August. M DCC XII.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITERIS SALFELDIANIS. +